Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [1]




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [1]




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [1]



COLONIÆ VBIORVM,
Apud Iodocum Kalcovium. cIↄ Iↄc XLVI.
Cum Privilegio Cæſareo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

In luculentiſſimos

POEMATUM LIBROS

Clariſſimi Viri,

JACOBI BALDE,

præſertim quibus Pacis vota ingerit.

NIl Reges, nil ſceptra moror, BALDÆE, Ducumque
Nomina, vel ſi quid grandius Orbis habet.
Cedant Cæſareæ ſolis jam vatibus Aulæ.
Imperium nullo fine poëta tenet.
Cæſare plus, plus Rege ſumus, plus poſſumus illis.
Regna Camenarum plus ſpacioſa puto.
Tu Ducibus majora facis. tu fortior exis.
Latius ingenio liberiore ruis.
Per terras cœlique domos, per cuncta vagaris.
Et vario paſſim carmine rector ovas.
Iam tibi materies Roma eſt & ſacra tuorum,
Vitaque non uno relligioſa modo.
Tot Sancti pietate graves, & quicquid Olympi eſt.
Quicquid adorandi ſuſpicit ora Dei.
Iam tibi fallacis ſordent ludibria Mundi,
Humanique jacet ſcena ſuperba fori.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Et te teſte nihil ſumus, & vaniſſima rerum
Portio, & æterni vix levis umbra Boni.
Sceptra, Deum, mitras loqueris, ſilvaſque lacuſque,
Sidera, nec, vatum vox, Philomela ſilet.
Iam Batavus venit in carmen, nunc Itala virtus
Dicitur & numeris Auſtria digna tuis.
Pontificum tibi debet apex, Tiberinaque multùm
Pilea. tanta facis numina lege loqui.
Truditur in Cirrham Mavors, Bellona poëtam
Induit, & rabiem mitigat arte ſuam.
Bella gerunt tot regna. tuo ſed carmine Pax eſt.
Et veteres Regum ſe poſuere minæ.
MEMMIUS *ingentes orando mitigat iras.*
Et labor auguſtos occupat iſte Deos.
In tabulis, BALDÆE, *tuis ceſſere tumultus,*
Articuloſque tuo jure poëta taces.
Colligit unanimes lenis facundia faſces,
Quoſque ligat, Phœbo non renuente, ligat.
Et matrum damnat lacrymas & flebile bellum,
Et voto Pacem proſperiore juvat.
Omnia ſic flectit vates, & præſidet Orbi,
Et loquitur nunquam juſſus ad iſta loqui.
Extorquet manibus gladios, tormenta, ſecures,
Manſuetoſque ſuis imperat eſſe Duces.
Et facit hoc, nulli gravis ad conſulta Cheruſco.
Et facit hoc, cum ſe poſſidet ipſe domi.

E

Et facit hoc, nullis vectus per rura quadrigis,
Et facit hoc, nullæ cum ſonuere tubæ.
Pugnatum ſatis, ô Reges. deſueſcite bella.
Perfidus in falces enſis & ultor eat.
Victoris ſit præda ſui. ſic parta tenete.
Sit ſatis, hac omnes conditione frui.
Si, BALDÆE, *tibi, ſi ſe mihi crederet Orbis,*
Iuro fidem, hoc uno Pax foret Articulo.

C. BARLÆUS.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS SOC. JESU per Rheni inferioris provinciam.

Cum Cæſareo Edicto caveatur, ne quiſquam libros ullos à noſtris Patribus editos, aut edendos, intra Sac. Rom. Imperii fines, ſimili aliove charactere aut forma, ſive in toto, ſive in parte, recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere & diſtrahere, clam ſeu palàm, citra ſupradictorum Patrum conſenſum ac teſtimonium, audeat vel præſumat: Ego JOHANNES PANHAUSS, *Societatis* JESU *per Rheni inferioris provinciam Præpoſitus Provincialis, concedo* JUDOCO KALCOVIO, *civi ac Bibliopolæ Colonienſi, facultatem excudendi* SILVAS LYRICAS, *à* R. P. JACOBO BALDE, *ex eadem Societate, compoſitas,* altera hac editione *emendatas & auctas, legitimeque cenſas ac probatas. Coloniæ,* XVI *Maji* M DC XLV.

JOHANNES PANHAUSS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

SILVARUM
LIBER I.
DE VENATIONE.

AD NICOLAUM STEPHANUM, ET GUILIELMUM HENRICUM, LECANTAS RADAGISIOS PP. GERMANOS.

Non facilè tantam morum vultuumque ſimilitudinem, ullis in fratribus videre memini; quantam in vobis, omni ornamentorum genere florentibus, Natura expreſſit, & Virtus conformavit. Vtrique vividæ indoles, par corporis forma, referens in fronte Majores ſuos. Ego autem ſummas inter dotes, multo magis jucundiſſimam animorum ſtudiorumque conjunctionem ſemper admiratus ſum. pulcherrimo quippe invento, Dianam & Palladem, Deas utique diſſidentes, ac ferme nullo, præterquam virginitatis conſenſu amicas reconciliaſtis. Quæ in Deorum Conciliis, propter diverſam vivendi agendique rationem, feruntur olim mutuis abſtinuiſſe conſpectibus; intra limina domûs veſtræ, familiariter pacem colunt. neutra alteram impedit: utraque vos juvat. Venandi voluptas interpoſita, cupiditatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

ſciendi non minuit. hæc corpus, iſta animum exercet. In cornibus cervorum citharæ pendent: venabula plectris ſociantur, calamique diverſos in uſus inſtructi. Chartam doctiſſimis epiſtolis inſumendam, luporum aprorumque dentes lævigant. Idem Muſæum, Mænalium & Caſtalium videri poſſit. Indicta profectione, nullos magis deceat agitare equum, inſequi feras, dirigere tela. ipſi montes ſilvæque, præbere gaudent acceſſus, & audito clamore ſubſultant. Domi rurſus commercia literarum ſuccedunt in ſolidum. Amœniſſime refertis, quid Echo Romana dixerit. deſcribuntur nemora, antrorum receſſus, colles, fontes. omnia elegantiæ coloribus, & genio veſtro rident. cum Muſis loquimini, ut ſororibus; cum Apolline, ut fratre. præterea nihil tam profundum altumque humana Sapientia conſtituit, quo non exporrecti felicitas ingenii perventura videatur. Illud nuperrime placuit; cum SIGISMUNDUS LECANTA, Cognatus veſter, antequam Bononiam evocaretur, peteret à me Dianæ ſacra verſibus celebrari; addidiſſe vos: caverem autem Palladis auctoritatem delibare. religionem Pieridum, non eſſe injurioſa Faunorum lætitia temerandam. Accepi imperium & conditionem: atque honeſtiſſimis votis obſecutus, alternis utrique Diva litavi. Cæterum non in omnem venationis ambitum diffuſus, ſed ex aliquot partibus pauca dumtaxat complexus ſum. Antitheſes, moroſorum hominum faſtidiis metiendæ ſunt: ſub finem Dithyrambus, meo ſenſu.

Ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

I.

Venandi voluptatem, & ſeveram, & caſtam eſſe.

NAm cui non placeat venantum vita Dearum,
Frondoſa circùm Mænala?
Huc pulcrè DIANA ferox; comiteſque Dianæ
Adeſte ſuccinctæ togam:
Flava LEONTODAME, BRITOMARTIS fuſca, LYCASTE
Velox, & OPIS cærula.
Huc de more plagas, huc greſſum tendite Divæ,
Formoſa nudæ brachia.
Caſtus amat ſilvas. nam tu quoque caſta, jugalem,
DICTYNNA, ſpernis annulum.
Quod ſua miſceri venatibus otia nollet
Ignava Nympha SALMACIS;
Molle pecus facta eſt, & Virgo deſiit eſſe,
Et vera penè femina.
Caſtus amat ſilvas. Veneris nos fallimus igneis,
Clavumque clavo pellimus.
Nos Eryci DELON, CYNTHUM præponimus Idæ,
Sudumque cœlum fornici.
Tota fuit quondam noſtræ GERMANIA mentis,
Aſſueta capto vivere.
Noſter & HIPPOLYTUS: qui, ne Venus ureret, arcum
Eluſit arcu Cyprium.
Innocuum rus eſt. plus peccat in urbe CUPIDO;
Puer fera nocentior.

ANTITHESIS.

AT cui Venantum nec læta, nec integra ſemper
Conditio, ſeu vita placeret?
Caſtus amat ſilvas. ſed & has non unus adulter.
Et leno ſceleratus, amârunt.

Venator PERDIX, nemus inceſtavit eodem,
Quo Thebas rex OEdipus igni.
Ilice ſub denſa (fertur monſtraſſe puellæ)
Corrupit te Iupiter! Io.
Caſtus amat ſilvas. Sed non ſunt omnia ſilvæ,
Quæ viridis tegit abdita ſaltus.
Sæpe ſub arboribus TROS & male conſcia DIDO
Fraude latent Junonis iniquæ.
Regina exſtructæ muros Carthaginis intra
Non legitur ſolviſſe pudorem.
Vix egreſſa fuit. cùm totum abolere Sichæum
Suaſit amor, ſpecus, horrida grando,
Exſulis Iliaci demens complexibus arſit,
In Maneis perjura ſepultos.
Hinc lacrymæ atroces, mortiſque inſana cupido.
Et ſanguis de pectore fluxit.
Quid prodeſt, urbem fugiſſe, urbiſque nefandas
Ferre faces, & crimina ſecum?
Inſectata foris cervos, currebat & ipſa,
Cerva velut gravè ſaucia telo.
His capta eſt PHOENISSA plagis, quibus ipſa volebat
Implicitam concludere prædam.
Quæ tulerat criſpata manus venabula, preſſit
Letali præcordia ferro.
Non, quia formoſo cultu ſuccincta DIANA
Virginei depingitur oris:
Quiſquis in ejuſdem juravit cornua, cœlebs
Continuò dormire probatur.
Pinigeris num gens SATYRIS magis ulla petulca?
Omne tamen nemus incolit illa.
Quis neſcit DRYADAS? meritrix an notior ulla?
Non urbeis, ſed rura frequentant.
Glaucus AMIMONEN nemorum vitiavit in umbra:
Et pharetram geſtabat, & arcum.
Ipſe aper impurum vindex percuſſit ADONIN,
Flente licet ſua Cypride damna.
POEMENIS & STICTE, fuerant ex Arcade matres,
Et THERON, & nobilis ALCE.

Atqui

Atqui venari labor eſt: VENUS otia mavult,
Et thalami ſtertentis olores,
Sed quodam & ſævit VENUS irritata labore,
Et vires capit ignea curſu:
Atque aliquem ſomnum refugit, doctamque quietem;
Parnaſſum, Muſaſque peroſa.

I I.

Cervorum jucunda venatio in ſilvis.

MEſſis adeſt. effer tandem, Venator ORION,
Nodoſa tectis retia.
Tempus prona manet. cinctos indagine Saltus
Percurre nunc, & excuba.
In cervos datur ire leveis, ſimul annua frontis
Induruerunt germina.
Poſt, ubi protulerit faciem POMONA decoram,
Calveſcit hæc Occaſio.
Nam tunc indulgent Veneri. furor æſtuat intus,
Plerumque formidabilis.
Ergo prima dies vix evigilavit, ab Indis
Curru revecta luteo:
It longum campis agmen, ſelecta canum vis,
Roſtroque captat omina:
Impatienſque moræ (notas odor attulit auras)
Tentat manus abrumpere.
Signa canunt. omni rabies mox libera freno
Feſtiva ſpirat prœlia:
Inque recèns ſignata ſolo veſtigia fertur
Sagax amuſſis narium.
Ecce per ambages cervus clamoribus actus
Ramoſa tollit cornua.
Quærenti per aperta fugam, plaga nexilis obſtat,
Et impeditum retrahit.
Ille volat, ventis etiam poſt terga relictis,
Fontemque quærit avium.
Terga pavore madent. fruticeta trementia late
Rumpuntur, & circumſonant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Sed jam præda cadet. Premit arcte candidus illam
Leucon, & ater *Asbolus*.
Protinus Arcadico ſolvuntur viſcera cultro.
Cor immolatur DELIAE.
Cætera concordes epulas, concordia pingui
Luxu ſaginant pocula.

ANTITHESIS.

GAudia ſint utinam, quæ fortiter audio dici;
Lætitiæque vacent
Æquata priſcis ORGIA!
Iſta tamen magno, niſi fallimur, Orgia conſtant.
Oblita quo precio,
Quantum metalli prodigunt!
Argentum ferro, plumbo conſumitur aurum:
Hæc Diomedis erat
Glaucique permutatio.
Quantula res, cunctis animalia cernere nota;
Ut jaculante manu
Confixa, cervi palpitent!
Tantum *Oculo* debes, ut totâ paſcere ſilvâ,
Sumtibus immodicis
Cogaris hunc APICIUM?
Heu cave, ne renoves clamantem ACTAEONA fruſtra:
Fabula nobilior
Cadmi futurus filio.

III.

Feſtiva agitatio Cervorum in aquis.

QUid ſi cornigeri videas gregis agmen aquoſas
Subire NYMPHARUM domos?
Sæpe lacum tranant centum, capita alta levantes.
Virgulta credas repere.
Pompa necis jucunda natat, timidæque ſevero
Luſu lavantur victimæ.
Cum ſubitò glans torta ferit cava tempora cervi,
Luctantis in vivario.

Ille prius fuſos ſtagno quam porrigat armos,
Sublimè rectus tollitur;
Aſſultuque fugit mortem, & mox corpore toto
Plaudit cruentos vortices.
Gaudent agricolæ prædonem meſſis abactum
Pœnas dediſſe criminum.
Reſpirat placata CERES, juſtamque DIANAM
Tantò ſalutat lætior.

ANTITHESIS.

SEd juvet hæc vidiſſe ſemel: ſi crebrius inſtes
Ac repetas, faſtidia ructant.
Sæpius adſpexi trananteis flumina cervos,
Plus fuerit, ſubiiſſe paludem?
Fabra hominis MENS eſt, & novit imagine rerum
Diverſas conjungere formas.
Contrahit in medium, quæcumque extrema vagantur,
Ac toto diſtantia Mundo.
Illa domi lepidas acies quaſcumque ferarum,
In cerebri committit arenâ,
Illi barrus adeſt, quoties deſiderat, Indus;
Et pede bos ſparſurus arenam.
Pſittacus in cavea, vel cercopithecus in aula,
Cumque ſua nuce ſimia ludens.

IV.

Cærimoniæ Venantium.

INterea nulli fas eſt poſuiſſe *galerum*.
Adhæret inſtar caſſidis.
Non ſi præter eant Phœbus, Latonia, Cæſar;
Nudum videbunt occiput.
Poſt, veſpertinus Titan ubi liquida magni
Enavigavit ætheris,
Jamque viæ feſſus portum proſpectat Iberum;
Appellitur Venatio.
Ergo domum redeunt evincti tempora quercu:
Laudant ferinam conjuges.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Heic ſudata fames conditaque ponitur, olim
Multis emenda Regibus.
Atque aliquis ſpiſſum proſternit in aggere ſomnum;
Et flante naſo perſonat.
Capripedes alius Faunos imitatur, & Oden
Gratam Napæis accinit.

ANTITHESIS.

INterea nulli fas eſt vitare calorem:
Uruntur inſtar cerei.
Ardet anhela ſitis, tepidoque accenſa profundùm
Negat liquori cedere.
Dumque canis latrat, venantis & ilia latrant,
Bipeſque venter ringitur.
Ut multi reduces ſtupam, cupiantque vel ipſam
Scobem comeſſe; non habent.

V.

Idioma Venatorium.

SUnt certi fines; ſunt certa vocabula nobis:
Eſt mira fandi gratia.
Qui non vult onager, vervex vel obeſus haberi;
In *verba* ne peccaverit.
Tutiùs in luco Triviam ſpectare lavantem
Poſſis, Jovemque prodere:
Quàm venatricem temere corrumpere linguam,
Hîc error, eſt PIACULUM.
Indubitata cadit Reus in ludibria CULTRI,
Ceu numen, irritabilis.
Omnia ſi tentes, nequeas evadere ferrum
Deæ ſacrum FACETIAE:
Miſſilibus Phœbi, Mavortis dignius haſtâ,
Ipſo Tonantis fulmine.
Quiſque ſuper Cervum porrectus plectitur error,
Ictuſque fert innoxios.
Herbida ſuccuſſis jam dudum Orcheſtra cachinnis,
Fluctuque pulmonum fremit.

ANTI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

ANTITHESIS.

HUc igitur ventum eſt, ut jactent Rhetora ſilvæ,
Campi diſertum PROTEA?
Cujus ſe formas facundia vertat in omneis,
Novare felix nomina.
Chaonias legimus ſpiraſſe oracula quercus,
Non verò quamvis arborem.
Si tamen iſta novæ conceſſa eſt gloria linguæ
Uſuſque Venatoribus:
Nempe ſuis eadem Pataræus APOLLO Poëtis
Negabit, ohe, vitricus?
Atqui tam bene ſim novitatis idoneus auctor,
Quam rure natus ſemifer.
Quid dabitur VATI, qui mille ſonantia verba,
Tornata, plena, grandia,
Nec ſtrumoſa tamen, nec hiulca, nec aſpera tractu;
Sed Attice virilia,
Signaque ſignatas res exæquantia, nocte
Excogitabit unicâ.
ENNIUS arma ſonans olim *taratantara* dixit:
Hac voce caſtra moverat.
Non minùs audebo, ſi, quod pater ENNIUS hauſit.
Præſtat ſilere cætera.

VI.

Etiam hiemali tempore Venatio optabilis, & commoda.

TAygeti Divæ, paullo majora canamus:
OCTOBER infert frigora.
Cum nix prima jacet, paullumque incanuit ilex,
Tritæque ſtrident ſemitæ:
Euſtachiana cohors, lato venabula ferro,
Sudes & ambuſtas para.
Arma volutabris infer ſilveſtribus, arma
Deprœliaturus cape.

Mane ruunt equites: & qui de gente Laconum
Venit *Melampus* utilis;
Dictæuſque *Dromas, Tigriſque*, & matre Britanna
Natus *Lyciſca* fortior.
Cautus adhuc procul, & ſolers divinat *Aëllo*.
Hoſteiſque tectos arguit.
Obliquumque tuens, hîc poſt carecta latet Sus,
Hylax acutus indicat.
Conveniunt plures. aper ocius exſilit, & ſe
Aufert tumultu fulminis.
Currite veloces, HECAERGE, & OREADES omnes:
Ut collocetur bellua.

ANTITHESIS.

HEu, nulla in ſilvis, certe non plena voluptas!
Præda quidem Calydonia capta eſt;
Non ſine clade tamen. ferro porrecta jacet *Sus*:
Sed denteis in ventre reliquit.
Ruſticus hic oculos terebravit vepribus: ille
Et poplites abjunxit & artus.
En, turpem plagam, decumanaque vulnera multi,
Effuſo cum ſanguine monſtrant.
Inguina diffuſus propriam VENATOR arenam,
Et munus ferale Dianæ,
Seque ſuper culpat; ululatuque æthera complet.
Num tanti ſpectacula ruris!
Non præbere queat meliora domeſticus olim
Et gratis innoxia porcus?
Omnibus in plateis grunnire *Elpenora* latè,
Et ſocios audimus Ulyſſis.

VII.

Venatio Aprorum, bellicoſa, & plena robuſtæ voluptatis.

AT non ignavis licet eſſe prementibus aprum.
Seria tela para
In vaſta ſilvæ abdomina.

Hîc

Hîc tibi CARPOPHORI præſens occurrat imago.
Sanguinolenta truces
Pugnantis inter beſtias.
Quædam vix Geticis diſtat Venatio bellis,
Enſe manuque ferox;
Martemque verum provocat.
Quippe ſui meminere feræ. ſecat, ecce, lutoſam
Turbine rapta viam,
Globumque ſtantem perfurit.
Qualia in obſcuri pluvia caligine cœli,
Nube tonante ruunt
Parſura nulli fulmina.
Emicat & *Lachne* Spartana, & *Oribaſus* Arcas,
Setigeraſque *Nape*.
Deprendit aureis mordicus.
Mulcet corda metus; vibrantia gaudia pallent,
Erigiturque pilus:
Sed grata ſunt pericula.
Adverſi confligit apri pinguiſſima moles:
Cum canibuſque ſuos
Miſcere denteis æſtuat.
Donec ab innumeris equitata *Sagacibus* ictum
Non removere valet,
Obſtante coràm *Pamphago*.
Sic quoque terribilis: trepidat, mortemque minatur.
Igne flagrant oculi;
Vireis in ictum convocat.
Currit, iô frendens, præfixam currit in haſtam,
Irruat ulteriùs,
Ni fortis obſtet lamina.
Ergo putreis animam ſpumantem eructat in herbas.
Sic quoque torva jacet,
Terræque ſulcos imprimit.
Stragibus augetur numerus. ſacer impetus idem
Per nemus omne vagus,
Sexcenta monſtra collocat.
Subvehitur plauſtris camporum terror in urbem,
Nunc amor, & populi
Mirantis explet lumina.

Pondus iter tardat ; pendent immania viſu
    Tergora : quamque trahunt,
        Horrent juvenci ſarcinam.
Pars ſale conditur : verubus pars maſcula cedit.
    Ebria ſanguineum
        Culina nidorem vomit.
Grande CAPUT menſas obit, & convivia circùm
    Fertur, ut in ſtomacho
        Gulam latentem provocet.
Additur hiberni petulans clementia Bacchi,
    Non ſine ſævitia
        Movente jucundam ſitim.

ANTITHESIS.

UNde ſonant moti feſtivo carmine montes?
        Cur icta clamant ſidera ?
Scilicet à læto debellatore ferarum
        Concuſſa plaudunt Mænala !
Oſtentantur Apri, perſuſaque ſpicula tabo,
        Viſenda cædes ordine
Credideram Geticum demta cervice tyrannum
        Duci ſubactis Thracibus.
Muſtea de capto tales *Petaſone* triumphi
        Aguntur inter pocula ?
Sit tamen immanis (nam quid contendimus ultra?)
        In ſtrage porci gloria :
Maxima nimirum Canibus debetur odoris,
        Oribaſo vel *Lælapi*.
In quorum rictu poſuit cataphracta minaceis
        Natura ferras dentium.
Hi pugnant, hi colla tenent, hi morſibus inſtant :
        Hi devorant *coliphia* ;
Et cum Setigeris ſubeunt diſcrimina vitæ,
        Luctamque arenis inferunt.
Quando Aper huc illuc, omnem curvatus ad ictum,
        Canes in orbem fulminat ;
Spectat homo tantùm, veluti Circenſia quondam
        Plebs otioſa Romuli.

Non niſi ſecurus laſcivæ commodat iræ
 In hoſte deprenſo manum.
O ergo, Latium Canibus decerne triumphum,
 Dignis adire curiam. • CTOR:
Primus eat DORCEUS; CANACHEN comitetur HYLA-
 LACHNEN ſequatur PAMPHAGUS.
Sed DROMAS & LADON generis conſortia jungant,
 Stipet MELANCHAETEN THOUS.
Tū poſt ICHNOBATEN & THERIDAMANTA Britannos,
 Laconicaſque TIGRIDES,
Dictator trabeatus eat Latrator ANUBIS.
 Currum trahant Ægyptii.
Siſtra procul Niluſque ſonent, venerante Canopo
 Ringentis ora numinis.
Ponè catenatique ſues ducantur, & urſi,
 Fortuna ſi quos addidit.
Siſtantur vivi pedibus poſt terga revinctis:
 Palàm vehantur mortui.
Atque ubi contigerit *Capitoli* ignobile ſaxum
 POMPAE CANINAE fabula;
CERBEREA detur VICTORI pinguior OFFA,
 Et in *Macello* dormiat.

VIII.

Venatio, Martis rudimentum, & ad crudam pugnam læta præparatio.

QUi cupit è terra pulſos Alemannide Suecos,
 Trans gelidi carecta Bootæ:
Colligat è turmis aciem Venantibus aptam,
 In Thracas moturus, & Hunnum.
Nos animos, nervumque, iraſque, & robur habemus,
 Jam dociles perferre laborem.
Scimus diſcuſſo Solem prævertere ſomno:
 Ante diem gyramur ad Ortum.
Sæpe DEAM noctu ſpectamus in æthere noſtram
 Vultu alio deducere ſtellas.

Excubias ſi caſtra ſuas ſilveſtribus æquent
In medio Mavortia campo;
Aut ubi conſidunt vigiles ad mœnia, juſſi
Obſeſſos defendere muros:
Tam facili numquam ſaltu ſe libret in Urbem
Neglectu felicior hoſtis.
Nec tot vulneribus rubeas lacerata, ſinumque
Sciſſa tuo, GERMANIA, damno.
Præterea nos dura fames exercet; & urit
Sæva ſitis, comitata moloſſos.
Scimus Apollineis etiam certare ſagittis,
Mentiri metuentibus ictum,
Non ſolus pomum puerili vertice DELIUS
Dejiciat. feriemus & ipſi.
GUSTAVI regale caput fortaſſe tuliſſem
In diſco tibi, Maxime CAESAR,
Si mihi mandaſſes olim, tua ſigna ſequenti,
Vandalicum configere collum.

ANTHITHESIS.

At neque propterea, quiſquis VENATOR habetur,
BELLATOR audit ſtrenuus.
Invenias multos in pacis prœlia forteis,
Spondere faſtos Herculis.
Speres effuſos Gradivi renibus, ipſum
Viſu fugaturos patrem.
Horum aliquis ſummo jejunus mane, feroci
Rus verberat ſuſpirio.
Quamvis triſtis hiems conſtringat frigore terras,
Ætherque ſpiſſius mugiat;
Admotum conſcendit equum feſtinus, & urget
Spelæa, dumos, confraga.
Nil metuens in opaca ruit, non læditur æſtu;
Contemnit hibernum gelu.
Immemor & cœnæ vento pulſatur & imbri,
Ipſiſque duratur malis.
Quo ſe cumque rapit, videatur inire duellum,
Timens ſuſurros æſculi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Finge levem belli rumorem ad tempora lapſum,
Moviſſe cordis peſſulum:
Mox prodire metus; vario palleſcere vultu.
Stillare toto corpore.
Pallentem ſtatuam ſonipes quoque concitus auferet
Ab imminente lanceâ.
Seria res ludo, Marti Latonia diſtat.
Campoque frondoſum nemus.
Et tuba terribilis, funeſtaque nubila proflans,
Terret minorem fiſtulam.

IX.

Fortiſſimum quemque militem, Venatorem fuiſſe.

SI rectè memini; magni CHIRONIS alumnus,
Et generoſus ABAS,
Laudantur à venabulis.
Pergama qui fundo ſubvertit, & Hectora curru;
Fertur amaſſe nemus,
Seniſque rupem Theſſali.
Bellipotens PANOPES, fortiſſima dextera LAUSI
Inſidiata feris,
Gaudebat arcum tendere.
Denique CENTAURIS quid ad hoſtica promtius arma?
Gens animoſa meæ
Conſentit aſtro Cynthiæ.
Tela, rudes quercus. aliquot concurrere viſis,
Ipſe pavens clypeo
GRADIVUS optet protegi.
Arboribus jactis oculi figuntur; & unà
Faucibus immodicè
Quaſſis molares excidunt.

ANTITHESIS.

QUis mihi ſilvicolas tumido crepat ore bimembres,
Monychon atque Pholum?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Ut venatores fuerint, quos corpore miſto
Pindus & Oſſa tulit;
Hinc honor accedet Dianæ caſtra ſecutis,
Eximiumve decus?
Utiliùs ſapiens ventoſâ laude carebit,
Quæ nihil artis habet.
Objicis Æaciden. ſed non in plebe ferarum
Hæſerat Æacides.
Quem non tentaſſet Meleager; hic obvius inſtar
Straverat hinnulei.
Urſorum cuneos ſolus turbabat Achilles;
Solus in antra ruit.
Ille truces catulos, matre inſpectante leænâ,
Eripuiſſe datur.
Si leo ſe contra móſſet, divulſa jubatum
Fregit in oſſa patrem.

X.

Recordatio præteritorum laborum, Venatori jucunda.

SAlve LATONAE Soboles, Regina triformis,
Treſque gerens facies;
Mihi ſed unâ carior:
Quâ nemora, & monteis, & amica negotia curas;
Cùm pharetrata tuum
Fratrem relinquis ætheri.
Te moderante manum, certos intendimus arcus:
Certaque ſulphureæ
Mandata glandes deferunt.
Te duce tres canos, nigranteis quattuor Urſos,
In nive Sarmatica
Stravi volucri plumbea.
Unus in his, poſtquam præcluſit cæſpite vulnus,
Verberis impatiens
In me bipes ſurrexerat.

Dum

Dum voveo pellem, geminato turbidus ictu
Concidit ante pedes,
Polumque verſus *Arcticum.*
Auſpice te ſcopulos, vicinaque ſcandimus aſtris
Saxa; licet ſaliens
Nos capricornus impetat.
Tres nuper capreas dejeci vertice rupis.
Ardua meta quidem;
Sed eſt voluptas utilis.
His ego veſtitus virgatam rideo byſſum;
Tinctaque Sidonio
Contemno rore vellera.

ANTITHESIS.

QUod moneo: cave, ne variantibus invia damis,
Ductus in exitium,
Dicaris alter ICARUS.
Utque dedit lapſus celebri ſua nomina ponto:
Præcipitante gradu,
Famoſa des & montibus.
MARTINI PARIES, quo nititur alta TYROLIS;
Cum glaciale caput
Prærupta cœlo ſubrigit:
Illa tuis Rupes, DUX, inclyta, MAXIME, cœptis
Aſpera vel Satyros:
His terret à veſtigiis.
Conclamatus eras, ni te DEUS ipſe levaſſet,
Quà via nulla patet,
Miro reductum tramite.
Lubrica cur miſeri diſcrimina quærimus ultro?
Illa tamen ſubeunt
Injuſſa, nec prænunciant.
In ſubitos caſus, MORTALES, ſtamus & imus.
Fata vehuntur equis:
Et ſæpe turmatim ruunt.
Dilectam CEPHALUS thalamis Hyphileïda PROCRIN,
Ah! miſer arcitenens,
Transfixit inter arbores.

Dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Dum putat eſſe feram, calamum conjecit aduncum·
Torta ſagitta volat:
Exclamat Uxor, *Occidi*.
Error erat; ſed erat numquam revocabilis error.
Fixa jacebat humi:
Figens madebat lacrymis.

X I.

Venatio leporis illecebroſa.

OBvius, ecce, *lepus*, grata formidine natus:
Præda, nec aërio
Ceſſura phœnicoptero.
Ille canem quemvis, niſi ſint duo, plurima circùm
Jugera, multiplici
Fatigat unus circino.
Currit in anfractus, morſumque eludit hiantem
Lælapis: & dubitat.
Seſeque pernix eripit.
Ac licet interdum pede jam videatur, & ore
Increpitante premi;
Rubo latronem dimovet.
Non tantum celeres Lepori timor addidit alas:
Auxit & ingenio,
Et delicatis fraudibus.

ANTITHESIS.

QUo mea me, tua te, ducitque trahitque cupido;
Hoc melius juramus amantes.
Quot Cæſar quidem *muſcas*, tot cuſpide Mauros
Crediderat ſtraviſſe leones.
Nos ergo nobis, nos gaudia fingimus ipſi;
Et cupimus dulcedine falli.
Si jejuna canis, leporem ſectata fugacem,
Spectanteis delectat in agro:
Rivalem cùm rapta fugat, ſuper oſſa recumbens,
Non pariter delectet in urbe?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Ut tamen admittam diſcrimen utrimque locorum;
Hoc pejus venatio diſtat.
Sæpius & vacuum prædæ SILVANUS, & ægrum,
Et multo cum ſplene remittit.
Quantumvis latebræ ſpeculator in ilia nixus,
Bis ſenas impenderit horas.
Ut capias aliquid: quoties amitteris ipſe,
Teque tibi furaris & annos?
Perdita nam vitæ cenſebis tempora, vilis
In ſtudii feritate peracta.

XII.

Venatio Vulpis ridicula.

TUrbantur *Vulpes* lapidum modulante repulſu,
Suis cavernis excitæ.
Quamvis mille dolos circum præcordia geſtent,
Falluntur arrectæ ſono.
Sunt & ab unguiculis *pumili*, genus acre, *Catelli*,
Quos *Rixa* mater edidit;
Parvaque, ſed tanto nutrivit acerbior ira,
Et imbuit calumniis.
Acti nequitiæ ſtimulis in viſcera terræ,
Clauſos laceſſunt incolas:
Textoreſque feros vel ſic invadere tentant.
Latratus ore major eſt
Nil mage pygmæis vulpecula talibus odit;
Nil experitur ſævius
Illud ridiculum: lepido cum cogimus ictu
Subire fuſtuarium.
Credas *Schœnobaten* ſaltare per aëra: tracto
Sic fune quaſi ſubſilit:
Inque trabes recidens, miſerandum & funebre gannit
Aſtuta mortis victima.
Malim vulpini luſum ſpectare petauri,
Quàm prima Romæ munera.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

ANTITHESIS.

SEd mihi non æque placet hæc VENATIO: fœtet.
Dant nares in tempore pœnas.
Infamem *Vulpes* nebulam, & nil turis olentem
Impingit capientis in ora.
Præfero SAMSONEM: quem non damnabile votum
Admorat nemoralibus antris;
Sed vindex animus. potuit cepiſſe trecentas,
Hoſtili nociturus ariſtæ.
Pejoreis ô ſi vulpeis educeret uncus,
Quæ Regum ſtabulantur in Aulis;
Ut cultas rodant ſegetes, vinetaque vaſtent,
Et totum VIRTUTIS Honeſtum!
Major haberetur, quamvis foret ultimus, ipſo
Venator Samſone colonus.

XIII.

Venatoris propenſio, colloquium, ſomnia, plena innocentis & feſtivæ hilaritatis.

IMus Amyclæos, Socii, percurrere ſaltus,
Huc indoles, huc gaudia
Me mihi nota vocant.
Ipſa loci facies primo, nemorumque corona,
Quem non in agros elicit,
Dum modulantur aves?
Deinde patens aër, & cœlo purus aperto
Pulmonis hauſtus integri:
Vivaque fontis aqua.
Hîc tellus, æquata jacet, tumet altior illîc;
Magnisque deſpectantia
Montibus aſtra ferit.
In modicos alibi colleis ſuſpenſa levatur,
Devexa ludit vallibus:
Quæ variata juvant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Hîc coryli fagis, hîc miſtæ quercubus alni
Scenas virenteis exhibent.
Urbs operoſa, vale.
Neſcio quam vivos in pectore ſentio motus:
Cum ruris adſpectus ſubit,
Frondifluumque nemus.
En, ut in arboribus lanugo nexilis hæret:
Limphæ loquaces ut cavo
Pumice proſiliunt!
Multa domi licet invitent remanere negantem;
Silvas tamen mens præripit,
Retia rara, plagas.
In ſilvas mens omnis abit. cum dormio, Fauni
Jucunda clarant ſomnia:
Semper & iſta virent.
Mox canibus videor ſcrutari luſtra ferarum.
Voceis amicas audio:
Vocis imago redit.
O abies, bene quæ montanâ veſceris aurâ:
O arbor umbrarum parens,
Sideribuſque prope.
Contiguum ſubmiſſa caput; quæ ſemper in altum
Umbone ſurgis florido,
Feſſaque membra tegis!
Tu me ramorum viridi caligine mulces,
Et fronde cingis pileum:
Tu mihi grata quies.
Fallor, an hirtus aper? videone æquantia fagos
Procera cervi cornua?
Lævia ſaxa ſonant.
Impulit horrenteis, procul audio, bellua dumos,
Servi, Lacænas ſolvite
Nebrophonemque jugo.
Talia per totam ludunt inſomnia noctem:
Natura non expellitur.
Hæc mihi vita placet.

ANTI-

ANTITHESIS.

ADde, quod in moreis migret venatica CIRCE,
Plerumque miteis efferat:
Et placidis longe pulſis inducit agreſteis,
Crudamque reddit indolem.
Humani ceſſat reverentia ſanguinis, ex quo
Sanguis ferinus funditur.
Nempe negant aliqui? jactantius imo fatentur,
Et inde captant gloriam.
Utque intus habitare feras, Faunoſque ſciamus,
Miſtumque Centauri genus;
Ante fores pendent rictus atque ora ferarum:
Quo more caupo noſcitur.
Tectum introgreſſo caput oſtentabitur ingens
Gigantis urſi Sarmatæ.
Pondus ineſt verbis, geminatque oſtenta luporum
Hic natus eſt in Anglia.
Exuvias hujus Tyberinus miſit amicus,
Nutricis olim ROMULI.
Hoc trifidum cervi cornu vicinus Amynthas
Sub iliceto repperit.
Iſtud Rhinoceros medium dejecit in agrum:
Increvit illud fraxino.
Pulcrius ô quanto CURIUS monſtravit aratrum,
Quo Conſul arva verterat!
Ollam FABRICIUS, falcem SERRANUS & enſem,
Scutumque Patris SCIPIO.
Monſtrares utinam detractas vertice Sueco
Criſtas ahenæ caſſidis!
Aut tabulas, multoque nigrans Lectore volumen,
Scriptamque Juris copiam.
Quidquid in arguto luſit Sapientia prelo,
Præfertur iſtis cornibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

XXI.

Scientiam Phyſica ferinæ, penes ingenia Venatorum eſſe.

SCire juvat, quo ſe genio tutetur & aſtu;
Quos fera quæque dolos
Evocet, incluſos villis, aut pellibus. Omnes
Hoſtibus invigilant;
Bellaque noverunt & convenientia tela.
Hæc fodit, illa ſecat.
Hæc punctim, cæſimque ferit: fugit iſta nocenteis,
Parthia, more tuo.
Altera, ſi circùm jaculis urgetur iniquis,
Cunctaque ſepta videt;
Seſe offert, ſtrictoſque acuens interrita denteis,
Fulmen in ore coquit.
Quam diverſa canum ſunt irritamina! odorum
Qualis avarities!
Subſeſſor clamore premit, curſuque *Secutor*:
Naſus ubique ſagax.
Viſcera cum prædæ diſperſa jacentis in orbem
Depopulanda damus;
Credas inſeſſos Furiis gaudentibus Orci,
Accumulare globum.
Ira plus aliquid ſævaque cupidine latrat
Luxurioſa fames.
Præterea longo nos plurima diſcimus uſu,
Eruimuſque ſolo:
Quæ nec ARISTOTELES ſciri, nec PLINIUS, Orbis
Foſſor uterque, dedit.
Sola tuens oculis noto veſtigia ſigno,
Protinus augur ero:
Conjiciam ſexum, pecus hæc eſt femina: trimi
Hæc ſimulacra mares
Impreſſere ſolo. fera parturit iſta: ſed illa
Plenius uber habet.

Ardua quot ramos protrudant cornua; cervus
Indicat ungue pedis.
Inſpectis pecudum fibris, Hetruſcus aruſpex
Scire futura petit.
Certius hoc poſſum, ſumtu leviore. SORORI
Cedat APOLLO ſuæ.

ANTITHESIS.

INterea, dum ſe præfert Titania fratri,
Oreades Tritoniæ;
Dum Pſecas, & Crocale, Phialeq;, Hyaleq;, Rhaniſque.
Nipheque MUSAS poſthabent:
Blanda quidem cerebro, ſed vaſta mole trabalis
Inſerpit IGNORANTIA.
Ars jacet in tenebris: nullæ celebrantur Athenæ;
Cirrhæa ſqualent atria.
Quæ demum laus eſt, ex ungui diſcere cervum,
Quot luſtra jam tranſmiſerit?
Si vitreis Magni SENECAE ſpecularibus uſus
Tuas videres belluas:
Majus in immenſi lucem ſe mitteret ævi
Nomen ſonandum poſteris.
Intus, ſi neſcis, intus ſtabula alta ferarum
Vicina ſunt præcordiis.
Hîc timidi Lepores, & VOTA canina vagantur,
Et ganniens AUDACIA.
Hîc lupus, hîc ululat MENS inſatiabilis auri:
Hîc eſt fames Lycaonis.
Hinnit AMOR: videas ſævos mugire DOLORES:
IRAE jubatæ rugiunt.
SPES ſaliens micat aure, at DESPERATIO latrat,
Et cuncta rumpit retia.
Mentis agrum viridem ſetis obducta VOLUPTAS
Radicitus depaſcitur.
Has, NEMBRODE, tuis pecudes configito telis.
Hæc utilis Venatio.
Ad claram ſtudiis Famam SAPIENTIA tendit,
Intra LIBRORUM Curiam:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Unde bonam capias mentem, diſcaſque ſecundis
Perferre rebus proſpera:
Et ſubitos contra fluctus, adverſaque Fata
Firmare pontem pectoris.
Rerum occultarum primas ab origine cauſſas
Inquire roſis unguibus.
In puteo tepeat cur Bruma, & frigeat Æſtas,
Viceſque gratas miſceant.
Qua vi naturæ ferrum lapis attrahat ater
Connubiale pabulum.
Quis Ventos per regna ferat: ſpirabilis aër,
An buccinæ ſint aëris.
Neptuni glaucos quî frenet Luna jugales,
Æſtumque deducat maris.
Involitent auræ flaventes ora cometæ;
An Martis aulam tranſmeent.
Annuus innato mutet Sol ordine curſum,
An Mens gubernet adſita.
Cur aliquæ tingi formident æquore ſtellæ,
Quædam fretis ſe proluant.
Talia VENATOR novit rariſſimus. ollæ,
Focus, cubile, porticus,
Et Dominus; redolent alpinas omnia ſilvas,
Fauni tuentur januam.
Ad puteum Fauni ducunt ſiphonibus undas:
Fauni lavacris præſident.
Fauni dant manibus gelidam, mantilia Fauni.
Eſt Faunus inſtar omnium.

X V.

Optimum Venatorem, optimum ſui corporis eſſe medicum.

NOn ego Philyriden, tumidŭve Machaona ſupplex
Ac tremulo ſermone laceſſam;
Ut juvet, & morbis vireis inſtauret abactis:
Hippocrates procul eſte tyranni,

Felix, qui numquam crudelibus indiget herbis,
Aut triſtis libamine ſucci!
Sanus ego, corpus patulis exerceo campis:
Nec patior mala ſemina mortis
Creſcere, funeream poſcentia denique falcem.
Me proles Epidauria curet?
Ludendo, meliùs medicas eludimus arteis.
Non vincit LIBITINA DIANAM.
Qui ſtudiis intrà pallent ergaſtula clauſi;
Inferiis debentur & umbris.
Collapſæ facies, atque inteſtina putreſcunt;
Liberior quia deficit aura.
Integra Venatus ſervat vitalia motu,
Et pravis humoribus obſtat:
Ne bellum moveant ANIMAE; ne mœnia, CORPUS
Expugnent, ac PECTORIS arcem.
Venatu floret ſanguis, menſuraque venæ
Lætitia ſpirante movetur.
Frugalem precioſa penum commendat orexis:
Hauſta ſapit de flumine limpha.
O nemus! ô liquidis rorantia fontibus antra!
O gelidi formoſa Lycæi!
Me procul in virideis ſepoſtum ferte receſſus,
Me veſtris abſcondite ſilvis.

ANTITHESIS.

PArca voluptatem manus, appenſamque bilanci
Commendat uſus rarior.
Quod nimium, ſemper nocuit: mediocria proſunt:
Librata durant fortiùs.
Non ego defixum pluteis allidere pectus
Noctu diuque ſuaſerim:
Sed neque more feræ rapidos intendere curſus,
Et æmulari capreas.
Venator, quem nota ſemel ſua cepit Enyo,
Furorque dulcis imbuit;
Fertur in immodicum, fuſiſque exundat habenis.
Manſueta damnans otia:

Et ſitit, & vigilat; tandemque ætate fatiſcit
Non illaboratus ſenex.
Quod miſerum! duros fractus licet egerit annos,
Inſomnis, & ſub pellibus:
Declivem curvo cum portat vertice vitam;
Dolet, dolendus nemini.
Auſteras hiemes tamen, & tulit ignea cœli:
Sudavit, alſit, corruit.
Sed quia Virtutis non hæc toleravit amore,
Ridetur in diſpendio.
Cæſareos quæ movit equos in vulnera Sueci,
Audax mori pro Patria;
Publica tractavit toto aſſurgente Senatu,
Fidem talento prætulit:
Illa, vel in morbo lætabitur, illa ſenectus
Extendet ævum laudibus.

XVI.

DIANÆ & PALLADIS

DIALOGUS ac RECONCILIATIO.

ODE.

D. Rixarum ſatis eſt. Cur, age, mutuis
Nos verbis, SOROR, & noſtra laceſſimus?
Turpis cauſſa duelli,
En, riſum VENERI movet.
P. Quæ jactare ſuum plus nimio genus,
Incepitque prior tollere cornua;
Deſiſtat prior oris
Illaudata ſuperbia.
D. TETHYS, JUNO, CERES, & RHEA litigent:
At nos alma decet Pax, quia virgines.
Secum bella ferentis
Expertes thalami ſumus.
P. Quando virginei gloria nominis,
Et me tangit amor; deſino jurgii.

Dulcis quid mea porrò
Vis LATONIA? do manus.
D. Illam, docta Soror, vertice maximi
Proles nata Jovis, ſi ſinis, oſculor.
Jam nunc altera puris
Ornet verſibus alteram.
P. Virgo, quam genuit candida Cycladum
Tunc primum ſtabili mater in Inſula,
Magni conſcia partus;
Eſt præſtantior omnibus.
D. Virgo, quæ gravidæ neſcia feminæ,
Fecundi cerebro proſiluit patris,
Ceu lux ſidere fuſa;
Eſt cunctis DEA clarior.
P. Pulcram, PIERIDES, dicite CYNTHIAM;
Nam vultu triplici prænitet unica.
Certe nulla venuſtas
Vultus æquiparet duos.
D. Formoſam, DRYADES, dicite PALLADEM:
In cujus facie maſculus eſt decor.
Frontis torva voluptas
Laxa caſſide fulgurat.
P. Noſtram ſi quateres ardua lanceam,
Pauliſperque manu ſpicula poneres;
Portas Urbis Athenæ
Venturæ tibi panderent.
D. Sumta ſi pharetra, per juga montium
Inſectere feras; eminus intuens
Credat frater APOLLO
Greſſus ire ſororios.
P. Magnorum tetricas, tu potior DEA,
Fronteis lætitia ſolvere Principum;
Multi pulveris aulas
Et faſtidia diluis.
D. Non ignobilior, quæ celebrat tubâ
Armatoſque Duces, bellaque Cæſarum.
Quanto digna triumpho
Reges purpureos canis!

P. In fœdus coëo. Donec *Equus* pede
Fiſſo fundet aquas, ſeque biverticis
Pandent culmina clivi;
LATONAE ſobolem colam.
D. Conjuro pariter. Dum ferient comis
Nubeis Taygeti ſaxa virentibus;
Et Tritonia noſtris
In ſilvis memorabitur.
P. Si te, quod poſita ſyndone viderit
Actæon, iterum rideat IDALIS;
Vindex Ægide totâ
Compeſcam caput improbum.
D. Si fors alterutram, quod ſumus innubæ,
Infamis meritrix temnat, & exprobret;
Hoc ſternetur ab arcu:
Huic vitam jaculo dabit.
P. Jamque, ô noſtra, vale. viſo MONACIUM
(Iſthuc nam ſoleo tendere ſæpius)
Dictatura POETAE
Dilecto mihi prœlia.
D. Et tu càra vale. me nemorum ferax,
EBERSPERGA vocat. Dux meditabitur
In cervos: eo noſtris
Saltum claudere retibus.
P. Carmen dulce, meo nomine, de tuis
Vates compoſuit laudibus Alſata.
Sancti pignus amoris
Hoc dono tibi, DELIA.
D. Eſt cornu mihi, quod frons generoſior
Cervi protulerat. ſi citharas velis
Aureo figere ramo,
Cras mittam tibi, CAESIA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

XVII.

DITHYRAMBUS VENATORIUS,

Feriis Auguſtalibus cantatus

YBERSPERGAE, ANNO M D C XLII.

ODE.

MUSA, ſiquid otiaris,
Nec moleſta Martis urgent
Juſſa, Teutonumque cædes;
Hoc agamus. innocentis
Arma non damnoſa belli
Concinamus, & triumphos Virginis LATONIAE.
Ex DEABUS nulla major
Digniorque *Multiformi:*
Elegantiore veſtros
Æmulatur nulla vultus,
Phocidos novem Puellis
Ore, vitâ, voce, formâ, moribuſque concolor.
Si feras, nemuſque totâ
Montis ab radice vulſum,
Thracius ſonante chordâ
Creditur traxiſſe Vates
ORPHEUS, famoſus ORPHEUS.
Gaudeant nunc et POETAE jure venatorio.
Ipſe PHOEBUS noſter arcum
Geſtat, & leveis ſagittas
Imbuit cruore damæ.
Ductus & majore ferri
In trucem Pythona telo,
Cum peremit putre monſtrum, liberavit patriam.
Fœderatas junge carâ
Cum Lycaſte, junge vires,
Oſculo Thalia rapto.
Cedat omnis corde livor!
Eſtis, iô, vos ſorores.

CYN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

CYNTHIAM quæcumque laudat, laudat & TRITO-
Nempe non amica tantum (NIAM.
Dulcis eſt AURORA Muſis.
Mane ſummo vix madentem
Propulit coruſca bigam;
Jam vigil ſopore pulſo
Frigidam VENATOR haurit, inque ſilvis militat.
Ille delectatus Æthrâ
Humidas vibrante flammas,
Floridæque lucis oſtro;
Arborum frondoſa luſtrat:
Lælapiſque ſuſpicaci
Sedulus ferina naſo tendit in veſtigia.
Ungue viſo, belluoſi
Arbitratur ſigna Saltûs,
Et latenteis inquilinos.
Hac eundum, fune tracto
Per fruteta, per vepreta,
Vis odora callidorum certa ſuadet augurum.
Prævium ſecutús omen
GLAUCUS inſtat, & plagarum
Explicari terminantum
Vecta curat involucra.
Mox amœno caſtra clivo
Figit, accubatque ſubter fraxino vel ilice.
Huc ſodales convenire
Multiplex invitat umbra.
Promitur ſenex in herba
Caſeus, Cereſque mollis;
Et rubentis feta Bacchi
Siqua denſis tecta ramis intepeſcit amphora.
Sermo ſalſus, & lepores
Rus olentes, uſitatam
Condiunt quietis horam.
Artis eſt, heic abſque nævo
Verba fari, lubricæque
Legis obſervare flexus, nec rotari turbine.
Indicant imaginoſas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Somniorum mille formas;
Phantaſo diurna miris
Facta confundente monſtris.
Primus infit: Mî videbar
Aliger volare cervus, hinc ad uſque ſidera.
Alter: Ibam pileatus
Mellis explorator urſus:
Veneramque pervetuſtæ
Ad foramen grande quercûs:
Jamque roſtro moliebar;
Cum repentè ſuſcitatus memet-ipſum rideo.
Tertius: Me triſtis, inquit,
Morpheus ſuccendit irâ,
Miſcuitque cæde ſomnum.
Hinnulum fixurus erro:
Rebar occidiſſe Natum.
Funus una, luctus una, noxque tetra vanuit.
Rupe, *Quartus*, ex acuta
Forte contemplabar arva.
Præter hoſtis ibat agmen.
Inde Suecos tot peremi,
Quot ſuperne ſaxa jeci,
Obtulique devorandas plumbeas acanthides.
Talibus ſe feriati
Provocant, falluntque tempus.
Antè viva, viva ponè,
Viva juxta manat unda;
Limpidique per lapillos,
Perque gramen, ore fontes murmurant argenteo.
Inter hæc plumis ſuperbæ
Alites cantare pergunt.
Magna cæſim, parva punctim
Verberant decenter auram:
Cujus ictus & querelas
Oſcinum jucunda mater temperat Symphonia.
Inter hæc et flabra ludunt
Mollium Favoniorum;
Excitantque ventilando

Arbores

Arbores garrire doctas.
Fabulantur, ac viciſſim
Neſcio quid de ſuiſmet blatterant cunabulis.
Quæ loquantur, nemo novit
Præter illos, queìs APOLLO
Myſticus ſecreta pandit.
Pinus, ulmus, robur, alnus,
Æſculique populique.
Improbas NASONIS arteis exſecrantur Itali.
Hæc ſuſurrrat; ſe fuiſſe
Feminam, nunc eſſe fagum.
Iſta narrat, ut procantem
Fugerit converſa caprum.
Sola BAUCIS cum marito,
Exuiſſe læta rugas, obſtrepit rixantibus.
Otio ſatis repenſi
Sunt labores. Surge tandem
Pigra venantum Corona.
Surge; ſe propinquus infert
IMPERATOR, cujus æri
Imputas amœna Pacis arma, luſum, prœlia.
Protinus Corona ſurgit:
Itur in ſepoſta ſilvæ;
Teſſeræque militares
Dividuntur à tribunis.
Æſtuant ſpes & cupido;
Et pavore læta pulſat gratus horror pectora,
DUCTOR exin in virenti
Veſte totum cogit agmen;
SYLVIusque mitiora
Bella fervens auſpicari,
In chaos vocale guttur
Solvit, & tumultuoſi clamat inſtar Stentoris,
Frondeam ſtans ante ſcenam,
Intonare juſſus ambas
Hinc & hinc occludit aureis.
Tum caput ſiticuloſum
Elevat, pedumque calceis;

Ceu canora vox ab imis attrahatur ocreis.
Nec diu cunctantur intus,
Qui ferarum clauſtra ſervant:
Sed caninis evocati
Faucibus reſponſa mittunt;
Hoſtiumque cognitorum
Ordines, exercitumque SILVIO denunciant.
Mugit illè, mugit Echo.
Utriuſque vox remugit:
Quam reciprocante fluctu
Inter antra, ſtagna, colleis
Volvit aër & revolvit.
Hoc *celeuſma* nominatur, & DIANAE *claſsicum*.
Indoles Nembrodiana,
Audiens procul feriri
Ungula ſonante terram;
Belluæ de mole certa,
Scit quot annos, quamque celſa
Germinante ſilvicultrix fronte portet cornua.
At ſimul prodire cœpit
Cervus actor in theatrum;
MOS jubet favere linguis.
Plectitur, quicumque muſſat:
Stridulum ſe commovere
Punientis inquietos Lex vetat ſilentii.
Prodit (ô DYCTINNA ſalve)
Corniger pavens videri:
Anxio ſudoris imbre
Sparſus, exſertuſque linguam,
Eruditus ingemiſcit,
Et ſitim deſiderantis tunc DAVIDIS ponderat.
Spes ſalutis nulla reſtat.
Hinc ferox ſubſeſſor urget:
Inde retiariorum
Septa, textileſque muri.
Currit: &, vel implicatur,
Saucius vel ſulphuratæ glandis ictu porgitur.
Juverit ſpectare læſum:

Ut tripes feſtinet ægre,
Et retro quandoque verſus
Devios quærat receſſus.
Quòd prematur à moloſſo,
Increpans Hylactor inſtet, neſcit eluctarier.
Jamque ſævit omne ferrum:
Latrat omnis ſilva circùm.
Alterum ſecutus alter,
Alterumque collocatur.
Veſperam ſub imminentem
Herbido procumbit agro longa ſtrages ordine.
Pòſt tremendi blanda CULTRI
Exigit vindicta pœnas.
Conſcius peccaſſe contra
Scita, DELIAEque numen,
Sive voce, ſive jactu;
Mox citatur ad tribunal. in reos inquiritur.
Quod ſecundent Dii Deæque
Præſides Venationis:
Ecce PRIMIPILUS adſtat,
Et caduci ſtrata ſupra
Explicatam terga cervi
Immolat Diis & Deabus ludibundis victimam.
Hoc habet. proh ſancte RISUS,
Proh CACHINNI vos profani,
Nequiter ſingultientes
Præ dolore gaudiorum:
Numquid exſultànte plauſu
Icta ſic reverberantur, ut crepent præcordia?
Frons ſeveras quæque curas
Ponit, abjicitque nubem.
Rideant heic & CATONES.
Linquit excitatus alta
Capripes Lycæa FAUNUS:
Ex cavernis PAN jocoſum currit ad ſpectaculum.
Hunc volente qui MINERVA
Accinebat DITHYRAMBUM:
Viſa, non audita, narrat,

Quamque poſt carecta prædam
Vidit à venante ſterni,
Pranſus hanc & delicata ſumſit ex paropſide.
Illa, quæ de fonte cordis
Sanguinem nutrita ſugit,
Illa mulcet pulpa guſtum;
Dulcè pinguis, pinguè mollis,
Lacteæque flos medullæ.
Lautias tam nil nocenteis nec *macris* negaverim.
Hactenus cantatur ÆSTAS.
Si pari me BRUMA luſu
Detinebit, cum Novembreis
Bellicoſa fundet apros
PRINCIPI devota CLIO;
Debitis et iſta cinget laureis venabula.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

SILVARUM
LIBER II.

CONTINET
Eclogas, Apiarium, Parthenia.

AD VVIGULEUM VANEROTTUM.

RUSTICANTUR, *ut vides, Muſæ meæ; apibus invigilant; peregrinantur: è via tamen ad te divertere jubentur. admitte: noverunt ſodales ejuſdem contubernii,* WOLFGANGUM SOLFASIUM, & CLAUDIUM GAREMANNUM, *viros humaniſſimos. tecum hoſpitæ ſilvas obibunt & campos, fluminumque ac collium umbracula: in quorum receſſibus ſanctiſſimos Penates colis. Audimus jam noſtra quædam, iiſdem in ædibus, ad aurium animique honeſtam voluptatem uſurpari. Oda de Vanitate Mundi, modò jucundæ diſſertationi, modò concentibus materiam præbet. Quo propius ſpem venio, receptum iri, quæcumque fidibus remiſſis hîc luſimus: nimirum, poſtquam enthuſiaſmis irruentibus fatigati, divinicris ferociæ ſtimulos excuſſeramus. Arcus & teſtudo ſemper intenta pariter rumpuntur. Et habet nonnumquam, niſi fallor, aliquid delectationis tenuis avena, quo maſculum barbiton caret. Paſtorales Odas, latiſſima ſignificatione* ECLOGAS *inſcripſi, non*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

neſcius, hoc, ſive canendi, ſive ſermocinandi genus, Lyricis vatibus familiare non eſſe. At enim neque ſinguli Silvas ſcripſerunt, in quibus reſonare poſſent. deinde, cum Lyra propria paſtorum ſit; cur non Lyrico metro æque ac Herioco, gaudia ruris emodulanda videantur? APIARIUM *noſtrum introgreſſus, miraberis Apiculas, in latere Chriſti, cruci affixi, mellificantes. Dignum mihi videbatur ſpectaculum, cui intenderem curam. Dedi hoc etiam amicitiæ* PHILIPPI BERNARTII, *viri (quod ipſe noviſti,) amantis Crucem, & in cœleſtium contemplatione rerum aſſidui. cætera ejus ſollicitudines præ hac elanguent. conſpirantia pænè vota junxiſtis in idem propoſitum. uterque vivendi cauſſas anteponit vitæ. uterque in ultimis habet, quæ major hominum pars in primis, Fortunæ bona. Ambo æquabili tenore morum, & miti humanitate gratioſi. Ipſa virtus, extra clauſtra cœtuſque religioſos poſitis gaudet cultoribus, & myſticæ cum Deo neceſſitudinis aperit commercia: unde placidarum mentium oritur pulcra conſenſio; & in cæteras actiones, manifeſta redundat conſcientiæ lætitia. Tibi verò,* VANEROTIE *clariſſime, nec Parthenia noſtra, tertiam libelli partem, diſplicitura confido, caſtos Verſuum luſus ac pios. OEtingam uſque, & ſi quæ alia itinera conficies, auguſtiſſimam Dei Matrem veneraturus, comitabuntur. Vale nobilis ac ſtrenue Vir, & Marianæ Legationis Auctori fave!*

ECLO-

ECLOGÆ.

I.

Daphnis natus: ſive CHRISTI *infantia, in Bethlemio ſtabulo, à paſtoribus culta.*

MOPSUS. LYCON.

M. Cur mutum reſides ducimus otium?
Sacco Mænaliam profer arundinem.
Quis cantare vetat? non quia frigore
Acri cuncta rigent: et mea fiſtula,
Hibernoque animus diriguit gelu.
Suadet lætitiam Nuncius aliger.
Quin iſthuc oculos dirigis? en, Lycon.
Hic eſt ille PUER, quem CHARIS edidit,
Laudata celebris Nympha nigredine.
Audiſti querulo ſæpius ex patre;
Venturum tacitus DAPHNIDA paſſibus,
Optatum Proavis tempus, & aurei
Immenſam ſeriem condere Seculi.
Hoc Laurus foliis vaticinantibus,
Hoc cornix etiam dixit ab ilice.
Jam veniſſe, monet non ſolitis nitens
Nox cœli radiis. Qui citharæ ſono
Illuſtrem GENIUS temperat aëra,
Noſtræ, credo, Lyræ carmina provocat.
L. Si promiſſus hic eſt DAPHNIS ab æthere:
Stagnent melle lacus, fons oleo fluat.
Flavos amnis agros lacteus irriget.
Inſperata gregem purpura veſtiat.
O formoſe nimis! vitis ùt arborem,
Arbor prata decet; prata virentia
Puræ murmur aquæ, glauca ſalix aquas:
Sic tu cuncta deces, ó PUER auree.
M. Quod nox juncta viæ, quod platanus domo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

In ſummis abies montibus ; hoc ſuæ
In MATRIS gremio cereus eſt PUER.
Heu crudele probrum , pauperies ! ſuas
Vulpes funereæ cur foveas habent ;
Et non DAPHNIS habet ? ſufficientibus
Vix fultus ſtipulis , in ſtabulo jacet.
Sævit triſtis hiems inſuper , & dare
Quæ vellem , prohibet , munera pauperi.
Do , quæ non prohibet : cum veteri favo,
En , incocta recens intyba caſeo.
Thymbræ germen olet. quin et honos erit
Huic Pomo , dederat Niſa , Cydonio,
Cum ſe Bruma novo vere remiſerit ;
Hœdum , DAPHNI , tibi de melioribus
Ad cunas ſtatuam : par quoque turturum.
L. At non indigeat muneribus tuis
Poſt meſſes aliquot. PASTOR enim BONUS
Dicetur , ſimul-ac creverit , hic quoque
Infans , conſpicuo nobilior pedo.
Septenis ovium pabula millibus
DAPHNIS ſufficiet. DAPHNIDIS hydriæ
Sex tunc vina voment. tunc crocus imbuet ,
Et ſandyx ambitus lutea vellera.
M. Fortunate PUER ! jam video feras
Audita rabiem ponere fiſtulâ.
Non conferre velit ſe tibi Tityrus.
Quantum cedit Hylax ipſe Palæmoni :
Vinces haud dubia voce Palæmona.
Ah ! ſed qualè canes , cum medio die
Scandes quadrifidam ſaucius arborem.
Rupes diſſilient , antraque rupium,
Sternet colla leo , diffugient lupi.
Supremum propiùs Carmen ut audiant,
Sol accurret equis , Luna boves aget.
L. Rivum claude tuum denique. jam ſatis
Cantatum eſt. tener , en, gramine defluit
Ros , & puniceus provehitur dies.
M. Nodum hunc ſolve prius. Dic , *ubi maximus*

Toto

Toto mons placide procubuit jugo,
Anguſtum in gremium Vallis humillimæ :
Nec læſa facie, nec ſonitu dato.
L. Quando hæc te ſtimulat gloria prœlii :
Cœli ingens ſpatium, dic, *quibus in locis*
Vlnas, Mopſe, *duas non patet amplius.*
Et Vates fueris major Apolline :
Si nil de putei margine cogites.

II.

TITYRUS.

Certamen paſtoritium Parthenii Amoris, erga puerum IESUM, *& Virg. Matrem.*

ALEXIS. CORYDON. TITYRUS.

A. Quid dicis Corydon, invidía macer?
Victus præterita luce, ſuam mihi
Submiſit ſenior Varus arundinem.
C. Submiſit ? timide ſum tibi credulus.
Tu primum juvenis, nec bene jungere
Ceras doctus : at hic carmine notior,
Quot fregit calamos, rurſus & abſtulit ?
A. Et vates ego ſum. Me Satyri quoque
Laudant, & Dryades. nec metuo parem.
Quid ſi, mi Corydon, te quoque provocem ?
C. Quid ſi bos catulum gignat, aprum lepus,
Prægnans agna bovem ? ſed quoniam libet
Inſanire, ferocem experiar virum,
Noſtri te ſtatuo carminis arbitrum.
Hac procumbe ſuper, Tityre, fraxino.
T. Procumbo. Corydon, ventriculo Lyræ
Dignos ſume animos ; & Puerum cane
Divinum placidis alter amoribus
Laudeis ſubſtituet Virginis. incipe.

CAR-

CARMEN AMOEBÆUM.

C. Qui te, care Puer, diligit; in nive
Occurſare feris nil metuat lupis:
Et dormire lacertas
Auſit gramineas prope.
A. Qui te, Mater, amat; ſentit amabilem
Auſtri temperiem ſub cane Sirio,
Nec, cum torquet aratrum,
Laſſari queritur pedes.
C. Sic te, blande Puer, diligo, ut æſtuem;
Ac, ſi fortè petas ampliùs, æſtuo
Flammis, pinguia quales
Poſſint findere jugera.
A. Sic te, Mater, amo, totus ut ardeam.
Nec, ſi fortè roges, *quomodo?* dicere
Poſſum, Cancer ariſtas
Cœlo lentiùs uſſerit.
C. Non te, dulce decus, Parvule, diligam?
Fratrem quippe *meum*. Sic Lycidas mihi
Dicebat pater. ô ſi
Te ſolum inveniam foris!
A. Non te, Mater, amem? quæ, licet aurea
Mundi, neſcio quæ, prata perambules;
Dignaris tamen agnos
Et rus viſere pauperis.
C. Ni te plus oculis, Parvule, diligam;
Areſcant fluvii, meſſibus irruat
Infelix paliurus;
Fulmen verberet horreum.
A. Ni te, Mater, amem; vepribus induar,
Spes anni ſolida grandine vapulet:
Vaſtet talpa novale;
Armentum perimat lues.
C. Teſteis vos Tilias, teque ſororiis
Umbranteis Platanum frondibus invoco.
Carmen tale per ævum
Inſcribam viridi libro.

Tunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Tunc dimittet eum, quem CORYDON *amat,*
Cum quercus violas, lilia pampini,
Siccæ mella geniſtæ,
Et nardum hæ philyræ ferent.
A. Teſtis Populus hæc, ut fuit antea,
Cum primùm ſuper hac Phyllida dicerem:
Sed nunc vulnera trunci
Inciſis renovo notis.
Niſam Mopſus amat, Theſtylin Harculus,
Tertillamque Mycon, & Lycidas Napen:
Quam nunc ardet ALEXIS,
Præfert omnibus unicam.

T. Rixæ difficili, Tityrus arbiter,
Et jam penè præeſt ſanguineæ. Lyram
Porrò flare veto. condite tibias.
Ne certare pari laude flagrantior.
Buxum multiforem rumpat, & ilia.
Ambo me viridem judice nectitis
Victores hederam. Stant ſua præmia
Ambobus. dabit huic VIRGO; tibi PUER.
Ecquis verò mihi? nil equidem peto.
Cantu rauca tamen vos cruciat ſitis:
Et creſcit calido ſole meridies.
Surgamus ſocium viſere Pamphilum:
Florem lactis habet, plenaque cymbia.

III.

De forma pueri JESU *&* MARIÆ *Virginis,*

CARMEN AMOEBÆUM.

CORYDON, MENALCAS.

C. INFANS, quem cuperem ſtringere brachiis,
Ulnis ni penitùs Matris inhæreas;

Ut lentiſſima ſepem
Nec viburna magis ligent.
M. VIRGO, cui teneris maceror ignibus,
Ex quo ſumta Lyra eſt, facta celebrior;
Ut jam notior ipſi
Non ſit Laurus Apollini.
C. Pictis omnia nunc ſideribus virent:
At ſi, care PUER, lumina flexeris;
Informi teget umbrâ
Totum nox ſterilis ſolum.
M. Horti nunc variis floribus emicant:
At ſi, VIRGO, tuas abſtuleris genas;
Horti nil niſi triſteis
Spinas cum tribulis ferent.
C. Contemplare Meum: candidulus rubet.
Nam baccis ebuli quàm rubet æmulus;
Tam candore liguſtra,
Et puram ſuperat nivem.
M. Quid tum, ſi Mea ſit fuſca? decentiùs
Umbravit faciem caſtaneæ color:
Et vaccinia nigra,
Et nigræ violæ placent.
C. Ut procera rubum fraxinus eminet,
Cupreſſus corylos, & calamum ſalix:
Sic ſublimior omneis
Tranſcendis pueros PUER.
M. Ut cedit nemori populeo frutex,
Montanæque nemus populeum cedro:
Sic certum eſt, tibi cunctas,
VIRGO, cedere virgines.
C. Damonis ſoboles, Myrtilus & Mycon,
Famoſa ſpecie per Dryadas flagrant:
Sed conferre PUELLO
Iſti, nec pater audeat.
M. Eſt et noſtra quidem pulcra Lycorias;
Et Varo placuit Niconoë ſua:
Sed contendere tecum
Neutri ſuaſerit Alcipes.

C. Flori dulce tepor, flos apibus, capræ
Paſcenti cityſus, ſol oriens ſatis:
Formoſiſſimus INFANS,
His eſt dulcior omnibus.
M. Vulpes triſte pyris, virga volucribus;
Tempeſtas ſegeti, frigora vineæ:
Magnæ injuria MATRIS
His eſt triſtior omnibus.
C. Heic incana tibi mella fero, PUER,
Selectaſque nuces. ô fieri ſua
Poſſet ſi modò dona;
Quàm felix CORYDON foret!
M. Nondum vinea maturuit. interim
Has, ô VIRGO, roſas pectoris accipe.
Si rident tibi, totum
Cras donabo *Roſarium.*

IV.

Daphnis occiſus: ſive hiſtoria CHRISTI *patientis.*

TITYRUS, LYCIDAS.

T. MAGNUS PAN hodie mortuus. & ſedet
Sub fago Lycidas! & genialibus
Decantat numeris munera Phyllidos!
L. Quàm funeſta mihi, Tityre, nuncias,
Quæ non ſæpe ſoles! ſuaviùs audiam
Exuri ſegetes; ſtirpitus omnia
Vaſtari pedibus quadrupedum ſata
Campos ornat equi pullus, equum juba,
Dux taurus vitulos, dux aries gregem:
Nos DAPHNIS. genus, heu! mortis & ordinem
Taxi funerea pande ſub arbore.
Triſti materiæ convenit et locus:
T. Quà villam gelidum Gethſemani nemus
Incinctam retegit flexibus arborum,
Et glaucas oleæ mons viridi comas

Attol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Attollit tumulo; DAPHNIS adiverat.
Noctu ſollicitus dum numerat ſuas
Et tutatur oves; dum vigil excubat,
Somnum prona licet ſidera ſuadeant;
Improviſa cohors ac fera militum,
Fractis vi ſubita ſepibus irruit.
Ipſis, cur memorem cætera: barbarum
Qui fecere nefas, flenda latronibus:
Aut, ſi dura rigent corda ſatellitum,
Certe Marmaricis flenda leonibus.
L. Ergo et ſaxa fleant: & riguis cava
Deducant lacrymas marmora fontibus.
Sed tu perge, precor: neu mihi, Tityre,
Parcas. quæ retices, jam patior mala.
Horrendas animus volvit imagines.
T. Qualis ſepta feris bucula tigribus,
Noctu tædiferos DAPHNIS atrocium
Intravit medius carnificum globos.
Exin nulla ſalus. compedibus pedes
Evinctus laceros, & manicis manus,
Raptatur per aquas, verbere tunditur:
Velatur facies, perfoditur caput,
Rimoſi fluido ſanguine corporis,
Quàm late patuit, ſpargitur area.
In furcam quatuor denique grandibus
Clavis actus obit. Quid dubius ſtupes?
Vidi, vidi oculis hæc, Lycida, meis.
L. Inſanos utinam, DAPHNI, potentium
Vitaſſes ſtrepitus cautior urbium!
Numquam vel modico paſtor in oppido.
Lætus perpetuùm vixit & integer.
Ruri noſtra vigent gaudia tutius.
Ruri nemo timet, nemo calumniam
Infert, à ſtimulis invidiæ procul.
T. Noſtri quantus amor Carminis! in cruce
Et cantabat adhuc, lugubriùs tamen;
Et, ne erraſſe putes, ordine, *ſepties*.
Semper DAPHNIS eo, quo DEUS, impare
Gau-

Gaudebat numero. vox penetrabilis
Perrupit ſcopulos, imaque vallium.
L. Non defendit eum Pollio? non Chromis?
Hic inter juvenes carior omnibus;
Annis iſte prior: quamquam adeo ſenex,
Robuſto ſolitus fidere brachio.
Idmon prævalidas continuit manus,
Permiſitque mori? cui pecus, & pedum, &
Lac, lanamque & opes debet, & omnia,
At non mutus erat, cum Mulier ſupra
DAPHNIN, de phiala fudit eburneâ
Unguenti veteris molle coagulum.
Damnavit fatuam murmure Villicam,
Queſtus longa ſui damna peculii;
Fraudarique inopes infremuit palàm.
T. Quod mirere magis; diffugientibus
Cunctis in latebras, perfidus (ô dolum
Æquato ſceleri ſupplicio luat!)
IDMON ſacrilego perfidus oſculo,
Vindictæ cupidis prodidit hoſtibus.
L. Poſthac ergo volet cervus in aëre:
In ſilvis habitent ſquamigeri greges:
Fidat dama cani; fidat ovis lupo.
Ibo terrificis avia & invia
Perturbare modis. omnia lugeant:
Tellus alma parens, campus & ætheris.
Nudet prociduum ſe foliis nemus.
Mutet ſtagna cruor. florida contrahant
Amiſſis faciem prata coloribus.
Horti degenerent in ſterileis rubos.
Ut quidquam vireat DAPHNIDE mortuo;
Ut ſilvis vel agris germinet, eſt nefas.

Laus

V.

Laus CHRISTI JESU, *Servatoris; & Deteſtatio Iudæ, Proditoris. In perſona Daphnidis* CHRISTUS *exprimitur: In perſona Idmonis, Iudas Iſcariotes. unde Diræ Scarioticæ nomen ſumſerunt, quibus devovetur in* Pſalmo CVIII.

CARMEN AMOEBÆUM.

TITYRUS, LYCIDAS.

TIT. Ergo DAPHNI jaces! nunc in ovilia
Irrumpet rabies ſæva Lycaonis.
Nunc impune leones
Dentem per capreas trahent.
L. IDMON, qui potuit Daphnida prodere:
Hic idem potuit prodere patriam;
Ignotaque cicutâ
Matris rumpere viſcera.
T. Albis candidior DAPHNIS oloribus.
Sambuci niveo flore fragrantior,
Verna lenior aurâ,
Pomis mitior aureis.
L. IDMON indomitis bobus atrocior,
Apris horridior, deterior lupis,
Feta ſævior urſa,
Heu, tantum potuit nefas!
T. Talis cæſaries, DAPHNI, fuit tua;
Qualis lana nitet ſuccida, quæ crocum, &
Guttas noctis odoras,
Et ſuccum violæ bibit.
L. Infami Bavio flagitioſior,
Corvis improbior, caſtore nequior,
Immanſuetior uro,
IDMON Daphnida prodidit.
T. Qui ſtantis faciem viderit æquoris,
Aut campos vario germine conſitos:
Formam vidit amœnam,
Vultum DAPHNIDIS optimum.

L. ID-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

L. Idmon vulnificis aſperior rubis,
Ventis barbarior, durior eſculo,
Putri vilior algâ,
Heu, tantum potuit nefas!
T. Tales, Daphni, tuæ, pulcer, erant genæ;
Quale eſt, ſi ceraſum molle, quod albicat,
Et pinguedine flavet,
Moro ſanguinea linam.
L. Labruſca fatuæ vitis acerbior,
Taurini ſanie fellis amarior,
Vappa tetrior atrâ,
Idmon Daphnida prodidit.
T. Dulcis, Daphni, fuit vox tua; fagino
Ut ſi quis tepidum lac bibat è ſcypho:
Labrum cujus acanthus
Ornet, non hederis ſine.
L. Idmon et vetula vulpe doloſior,
Et trima Charicli fele procacior,
Ipſa pejor hyænâ
Heu, tantum potuit nefas!
T. Qui vidit placido lumine turtures
Connivere ſibi, fontis ad oſtium;
Formoſiſſima vidit
Grati lumina Daphnidis.
L. Damœtæ catulo luxurioſior,
Porco ſordidior, putidior capro,
Iracundior angui,
Idmon. Daphnida prodidit.
T. Cui dicam ſimileis, Daphni, tuas manus?
Dicantur ſimiles frondibus arborum:
Quæ, ceu brachia, malum
Stanti nobile porrigunt.
L. Idmon, queis ego te confodiam probris?
Queis dirum Furiis devoveam caput?
Idmon mulgeat hircos:.
Scindat vomere littora.
T. Heu! jam triſtis ager ſqualet, & humidum
Deflet Fata nemus. floridus, omnium

Quondam certa voluptas,
DAPHNIS; nunc dolor omnium.
L. IDMONIS ſegetes eruat Africus:
Quas verò patulis condidit horreis,
Et liquere locuſtæ;
Rodant agmina murium.
T. Ipſi jam fluvii tardius ambulant,
Et fundunt querulo murmure lacrymas.
Ipſi, ipſi modò montes
Fracti vallibus incidunt.
L. Villas tam ſubitis exſtruat hoſtibus,
Quàm certum fragileis in tumulum caſas.
IDMON mulgeat hircos,
Semen ſpargat in aëra.
T. Ah! ſol ipſe caput texit, & horridos
Obvelavit equos. ipſe etiam greges
Olim pavit Apollo:
Non et DAPHNIDA lugeat!
L. IDMON per tribulos nudus & avia;
Aut, ſi tectus eat, triſte ferat jugum;
Veſtimentaque Neſſi
Tabo tincta nigerrimo.
T. Jamque & Luna rubet flebilis. hæc quoque
Paſtores tenere diligit: hæc quoque
Silvas viſit & agros;
Non et DAPHNIDA lugeat!
L. Impurum ſoboles percutiat patrem.
Uxor ſacrilegum dilaniet virum.
IDMON mulgeat hircos:
Ex cribro bibat igneo.
T. Quin et terra movet. ſub pedibus nemus,
Abruptoque tremunt limite jugera.
En, armenta reſidunt,
Nec jam pabula ruminant.
L. Cum virus mediis ſerpet in oſſibus;
Frangendus laqueo, de trabe pendeat.
IDMON putria monſtris
Inflatus crepet inguina.

T. Quid-

T. Quidquid ſit, Lycida. ſentio, ſentio
Mundi clauſtra quati; forſitan alterum
Se ſe DAPHNIS in Orbem,
Hinc ad ſidera ſuſtulit.
L. Credam. quid prohibet? DAPHNIS et alteras
Jam nunc paſcit oves. Elyſii ſimul
Campi prata recepit,
Læto roſcida gramine.
T. At te, DAPHNI, ſequar tela per & faces,
Obſtantumque minas. heu, malè pendulum
Nemo funus inunget:
Nec ſtabit tumulo lapis!
L. Surgamus. roſeo veſper ab æthere
Umbras proſpiciens longiùs explicat.
Niſa & Lyctius Ægon
Cogent intereà pecus.

APIARIUM.

De Apibus Heidhuſii, prope Monachium, in corpore CHRISTI *cruci affixi mellificantibus.*

Canebat AUCTOR *Anno* MDCXLI, *quo viderat.*

I.

PROLUSIO.

Invitat Poëta Muſam ad feſtivæ rei ſpectaculum.

CALLIOPE, nimio ceſſa te comere luxu.
Deme roſas capiti,
Gemmaſque moroſum decus.
Ruſtica Muſa mihi jam nunc placet. Urbe moleſtâ
Egrediamur, & in
Villa moremur proxima.

Non procul Iſareo Domus eſt gratiſſima tractu.
INCOLA pars melior,
Sint cuncta quamvis optima.
Parva, nec anguſta eſt.virideis habet undique valvas.
Veris opes gremio
Vicinus Hortus explicat.
Fons ibi cum liquidis rixatur in aëre Nymphis;
Et revocat querulus
Redire nolenteis aquas.
Hunc prope, qua patulos diducit ſemita campos,
Conſideamus humi,
Et fabulemur invicem:
Fronte tamen faciles exporrectaque remiſſi.
Diſſimula patriam
Tantiſper, & Phœbi genus.
Non decet ingenteis ſemper geſtare cothurnos.
Quin aliquando juvat
Agreſtis elegantia.
Neu, ſimul audieris dicentem, *bombilat*, ohe!
Quale Poëta jacis
Verbum, minax interſtrepas:
Oſque premens digito, tacite mihi, non ſine riſu
Barbiton objicias
Horatiani nominis.
Sum memor: argutum numquam dimiſero FLACCUM.
Heic tamen hoc opus eſt
Monere verbo villicum.
Nonne vides, quæ me rapiant miracula! quantis
Dulcior attonitum
Natura monſtris faſcinet!
En, *examen Apum* quali de ſtipite pendet!
Mirus in exanimi
Vivit *Racemus* corpore.
Obtutus primùm defigito: deinde loquemur.
Jam ſatis eſt, oculos
Nobis loqui tacentibus.

Apum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

II.

Apum ſolertia in Domicilio ſibi deligendo.

ODE.

VIrgineæ volucres, divina quis impetus egit
Intrare CHRISTI viſcera!
Vix fuit Icariæ major fiducia pennæ:
Certe minor felicitas.
Huc dolus, an virtus; Fortuna, an caſus, an error
Poſt veſtra duxit prœlia?
Sed DEUS ipſe, puto. Minimis qui Maximus auget
Suæ tropæa Gloriæ.
Ille novam, ſapiens terrarum luſor in Orbe
Deduxerit coloniam.
Pectoris ille ſui profugis patefecerit Aulam,
Lepore captus civium.
Ut celebrentur APES, triplicis ſub tegmine MITRAE
Quæ melle Tybrim temperant:
Ter quater, & vere feliceis vos quoque dicam,
Iſto ſub Alveario.
Quamvis purpureæ deſint inſignia ROMAE.
Primæque claves Infulæ;
Nec cedro ſedes, Italo nec picta ſit auro:
Compenſat HOSPES omnia.

III.

ENCOMIUM APUM.

Hiſtoria de venerabili Euchariſtia, ingenioſo Apicularum labore in Alveare deportata.

ODE.

ALter aves nigras, alter laudaverit albas:
Vos mihi Partheniæ
Mellis placetis Filiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Nectareum genus eſtis: & hujus cura liquoris
Vos penes. hæc ab avis,
Durat nepotum gloria.
Jurati ſceptro cives ſub legibus ævum
Degitis: & ſocia
REM curat Ala PUBLICAM.
Quod oculos merito cœleſteis allicit, omneis
Inter aves Venerem
Neſcitis, & connubia.
Præterea Templis puros accenditis igneis.
Cera, & odoriferæ
Sunt veſtra tædæ munera.
Nec ſemel & tecto nivea ſub nube TONANTI
Ædificaſſe Domum
Jucunda Fama prodidit.
Heu! mediis quoties campis neglecta jacebat
Æthere miſſa Ceres,
Periculoſo in gramine.
Rumor ubi veſtri Regis pervenit ad aureis:
Convocat, & medius
Patrum rogat ſententiam.
Pars indignantur Mortalibus, agmine facto:
Spicula pars acuunt,
Juſtasque promittunt minas.
NUMINIS urget honor: bellum differtur & ira.
REX meliore DEUM
Cenſet reponendum toro.
Vix ea: cùm motis caſtris emiſſa juventus
Ocius approperat
Humi jacentem tollere.
Hæ ſternunt alas: hæ pulvinaria ſubdunt,
Pallida de violis,
Et de liguſtris candida.
Succollant procerum primi. tum Conſule fultum
PIGNUS, ab innumeris
Stipatur hinc lictoribus:
Inde Senatorum cœtu comitante, curuli
Fertur in aëria.
Cuncti Quirites advolant.

Donec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Donec Tarpeia (*Quercu*) ponatur in Arce:
In gremioque Favi,
Cellæque lectiſternio.
Æmula non vidit majorem Roma triumphum:
Sive ſubacta jugum
Cùm triſte cepit Dacia;
Seu, cum turrigeros, victa Carthagine, barros
Dardana Scipiades
Oſtendit intra mœnia.
O bene, quòd dignum vobis quoque NUMEN in ipſis
Præbuit hoſpitium
Præcordiorum cratibus!

IV.

ODE.

Crucem, & CHRISTI Latus, omnibus tutiſſimum Aſylum eſſe.

ALLEGORIA.

NUllum animal tanto ſe defenſore tuetur:
Uſque licet ſua nomina jactet.
ANSELMUS leporem deprenſum penè, canini
Eripuit de faucibus orci.
Fertur ad AEGIDII notos fugiſſe receſſus
Cerva feris latrata moloſſis.
Agnum FRANCISCUS fratrem, manibuſque ſororem
Dignatus ſervaſſe cicadam.
CHRISTUS Api media cordis ſtatione receptæ
Donavit jus Civis habere.
Hinc nec eam Procne, quamquam inſidioſa puella,
Nec Meropes auferre valebunt.
Non crabro, non fucus adeſt, tineæve nocentes;
Non caſſes extendit Arachne.
Non qui de cœlo ſtellas in Tartara traxit
Terga gerens lita Stellio guttis.
Abſunt et taxi triſtes, ſerpenſque biformis,
Hyſſopi nidore fuganda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Vivite felices ANIMAE, quibus annuit æther
Poſſe CRUCIS ſuccedere tecto.
Curia qua meliùs figatur in arbore veſtra,
Quàm Stygios arcente chelydros?
Nulla parem profert Libani ſtans vertice ſilva,
Aut florens in monte Cadano.
Flecte tuos, omneis inter mea nobilis una,
Flecte Arbor pulcerrima ramos:
Pulcrior ô platano, recta procerior alno,
Et tilia conſpectior altâ:
Flecte caput, virideiſque manus exporrige voto.
Ut nervi tendantur & artus;
Ipſe mihi *Sciron* fieri meus opto, *Sciniſque*.
Cuique BONO licet eſſe LATRONI.

V.

Secura in Cruce quies.

ODE.

CRedas particulam divinæ mentis ineſſe
Volucribus tam providis.
Suſpice mellilegi formoſa palatia Regis,
Apum penateis cereos.
Non ego tinnitus, Corybantiaque æra ciebo,
Miſtoſque Curetum ſonos:
Ut vaga detineam, quamvis ardente duello,
Formidoloſus agmina.
Detinet ipſe loci genius, medicataque Sedes
Dei profuſo ſanguine.
Hoc, CATHARINA, tuum fuit ingenioſa cubile,
Cœli Senenſis gloria.
Hoc BERNARDUS Apis, facundi flumina mellis
Sugebat ex plantario.
Hoc recubare ſinu, Dalfina uxore relicta,
Optavit ELÇEARIUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

VI.

De GRANADILLO INDICO.

Apes, mel ex floribus; Patientiam, ex ſpinis colligere.

ODE.

AD vos ætheriæ redeo, mea cura, MELISSAE;
Deliciæ Domini,
Fecunda Gens, & innuba.
Quod moneam, veſtro Vati ſuggeſſit Apollo.
Ditius ut liquidis
Fiat favis Ærarium;
Auricomos toto floreis inquiritis agro:
Quotquot alit Zephyrus,
Vernique ſoles educant.
Tondetis caſiam, & violas, calthamque, roſaſque;
Nigraque lacteolis
Cum liliis vaccinia.
Fervet opus, variuſque labor; campique metuntur:
Impoſitiſque ſacri
Fragrant meliphyllis Lares.
Non bellis falcem effugiat, non pulcer amomus;
Et crocus, & lacrymans
Narciſſus errorem ſuum.
Ah! cur tam ſterili fruſtra ſudatis in arvo,
Pendere ſollicitæ
Veſtris tributum Regibus?
Sæpe parum mellis tamen in mulctralia ſtillat;
Chloridos uſque licet
Mammam prematis floream.
Pingue ſolum juvat agricolas: pinguiſſima tendit
Ubera, plena thymo.
Flos GRANADILLUS Indiæ:
Jure Palæſtinus multò meliore vocandus.
Pullulat è gracili
Surſumque culmo tenditur.

Nulla mora eſt: in quâ, tinctus diademate, Plantâ
Invenietur apex;
Flagella, Clavi, Lancea,
Quinaque purpureis lucentia tubera guttis;
Stanſque ſuper calycis
Sinum columna, carpite:
Carpite contemtis immortali amarantho,
Flexilibuſque hederis,
Lentoque acanthi vimine:
Cervicemque, genaſque amplexæ, & fuſa comarum
Stringite: rore madent,
Clariſque guttis noctium.
Sugitur hinc dulcis PATIENTIA. nulla redundant
Largiùs in phialam,
Nec ipſa Pæſti germina.
Stringite: dum revocet ſomnus; dum ſplendidus ortu
Crure tenus ſaturas
Ceſſare cogat Heſperus.

VII.
De
CHRISTO CRUCI AFFIXO
ÆNIGMA SAMSONIS.
ODE.

FLoribus expreſſum jam flavet in ilice muſtum:
Ex ſuperante favo
Jam liquitur vindemia.
Guſtemus. totis fas eſt incumbere labris.
Suavis enim *Dominus*
Jeſſea firmat Carmina.
Exiit, obſcure ſponſus dicebat Ebræus,
De comedente cibus,
Dulcedo de fortiſsimo.
Gryphum ſolvo tuum, SAMSON. *Aliquidne Leone*
Fortius eſſe poteſt?
Quid verò melle dulcius?

Atqui non ego te miror, ſunusve jubatum.
Pendulus iſte LEO
Utrumque vincit robore.
Cum rugit, trepidant ſilvæ, turbatur Olympus;
Et paveſacta tegunt
Horrore vultum ſidera.
Quanta fames! totum captis cum Manibus Orcum,
Haud ſecus ac teneram
Injecit agnam faucibus.
Demerſo Pharaone mari, poſtquam avia circùm
Teſqua, rei ſcelerum
Verpi vagabantur greges;
Quot timidos damas, turpeis laceravit et urſos,
Indomitoſque boves,
Et contumaceis bubalos!
At nunc ille LEO, ſuſpenſus in arbore, nullum
Terret, & illecebris
Invitat omneis myſticis.
Errat apum generoſa cohors per inane cadaver.
Melle fluunt oculi,
Venter, palatum, brachia.
Adſpicis, utque manus ferro trajectus apertas,
Utque pedes rigui
Nectar propinat ſanguinis!
Mite caput vergit: Lateris patet alveus ingens.
Vindicis abſque metu
Quivis ſceleſtus præterit.
Dulce mihi lignum: dulces in vulnere clavi;
Dulcia quæ geritis
Salvete REGIS *pondera.*
Antè mel efficient blattæ; vinumque labruſcis,
Quale Cyprus generat
Aut clara Lesbos, effluet;
Quàm me pigra tui capiant oblivia, JESU:
Cujus in ambroſio
Hæc vernat Hybla funere.
CALLIOPE, ſatis eſt mellis: redeamus in Urbem.
Fila remitte Lyræ,
Favoſque mecum divide.

PAR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

PARTHENIA,

Sive ſupplicationes ad D. Virginem.

I.

PROLUSIO.

Lyrici Verſus, Auctori, in votivam legationem intento, delicias faciunt.

ODE.

Huc ad me pictis celeres procurrite ſoccis
Molle genus, PUERI,
O delicatæ Syllabæ.
Veſter ego VATES: nam dicunt me quoque Vatem.
Veſter ego Genitor,
Dulces Minervæ Filii.
Vos ego, quod dociles ad mitia metra venitis,
Diligo, non dubium
Levamen ægrimoniæ.
Forma ferox & miſta decet: pallorque ruborque
Influit in faciem;
Et naſus eſt acutior.
Frons bona, cervicem criſpis undantibus ornat
Aurea cæſaries;
Ventos quod invitet leveis.
Crure tenus tectum viridi ſubtemine corpus
Linea obit nebula,
Et nudat elegantiùs.
Incipe, parva cohors, riſu cognoſcere Patrem.
Qui prior alipedum
Ad me gradum promoverit,
Præmia digna feret: radios tres Solis in auro,
Purpuream chlamydem,
Certumque figi ſpiculum.
Ille ter audebit GALILAEAE VIRGINIS Aram
Tangere; & ad Dominam
Mittetur Orator meus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Legatio Prima,

AD D. VIRG. OETINGANAM

Pro Ipso Auctore.

ODE.

VIRGO, cui roſeis facies inſcribitur aſtris;
Gemmant racemis ubera,
Ora fluunt oleo.
Si licet, & pateris trepidam deponere cauſſam
Ad ſacra pulvinaria;
Supplico fuſus humi.
Cur non ipſe venit? cur eſt tam ruſticus Auctor?
Pacem rogaturus, leveis
Deſtinet huc Pueros!
Parce queri: abſentem non hæc dementia cepit.
Nec pigra culpatæ tenent
Otia, VIRGO, moræ.
Ille domi reſidens ſe deteſtatur & horret:
Squalore ſentus lurido,
Terribilique coma.
Ah! non jam ſolita curas diſpellit avena:
Sed verba ſingultantia
More reſorbet aquæ.
Nil adeo varium magis, aut mutabile vidi.
Exæſtuante Nereo
Certior unda maris.
Sæpe gemit ridens, & formidabile pallet:
Mox gaudiis plorantibus
Pectora nuda lavat.
Infremit exſultans: ſic, ut metuendus in ipſo
Pavore diſcordet ſibi.
Terror ineſt lacrymis.
Sæpe injuſſa manus clauditque, aperitque feneſtras.
Seſſurus, attollit pedes,
Egrediturque foras:

Pri-

Primaque permenſus viridis ſpectacula campi,
Majore rurſum tædio
Damnat, & odit agros.
Denique laſſatus juxta confinia leti,
Sopore membra plumbeo
Oſſea ſternit humi.
Erigitur ſubitò, factique ignarus anhelat,
Humente vultu ſidera
Non nimis æqua tuens.
Cantat, & abrumpit medias ululatibus Odas:
Suaſque vivo funere
Occupat inferias.
Ah! quoties timui; ne, dum teſtudine ludit,
Impingerentur in meum
Tinnula fruſta caput!
VIRGO, juva: nam te non *auxiliante* redite
Formido. proh quàm nubilis
Orbibus adſpiciar!
Multus opi tamen Ille tuæ, ſcio, fidit & orat:
Spemque inter aſſultus ſuam
Præſidiumque vocat.
Nuper enim cùm me flenti applorare videret;
Ut fortè plectro juſſerat
Applicuiſſe manum:
Ite mei VERSUS, tandem cum murmure dixit.
Non eſt inexorabilis:
Ite pii Gemitus.

LEGA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

III.

LEGATIO SECUNDA,

AD D. VIRG. DUNTENHUSANAM.

Cum ægre haberet ſereniſsimus Infans

MAXIMILIANUS PHILIPPUS HIERONYMUS,

Sereniſſ. Electoris Maximiliani Filiolus ſecundò genitus.

ODE.

OCius ad DOMINAM cygnos urgete jugales.
Urget repens neceſſitas:
Vel mora parva nocet.
Poſtquam ſidereæ valvas patefecerit Aulæ
Solis miniſter Phoſphorus;
Sternite molle genu
Ante fores. ſolet in florenteis ignibus hortos
Exire, quà ſe lactea
Explicat axe via:
Et niveo late cœleſtia temperat hauſtu
Lucentis arva ſemitæ;
Dicite procidui.
O DEA: quid ſceleris noſtro non audet in Orbe
Morbus ſatelles Manium,
A pedibuſque Neci!
Formoſum Infantem, quo non formoſior alter,
Intra ſui Palatii
Limina corripuit.
Formoſum Infantem, qui ſpes eſt altera PATRIS,
Secunda MATRIS gloria,
Munera, VIRGO, tua.
Ac niſi mature medicas admoveris herbas;
Decerptus ungui Floſculus
Occidet ante diem.
Heu, tantum liceat *Morti*! quam multa ſenectus
Labente jam trunco vocat;
Nec tamen illa venit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Si cæci ingluviem Saturni dira libido,
Viris relictis, dapſiles
Abripit in pueros:
Haud deerunt ædes, ubi gratìs copia vagit.
Fecunda ſemper liberos
Pauperis antra dabunt.
Quin etiam pullos Monſtro concedet inemtos;
Damnoque plus lucrabitur
Ruſtica ſæpe caſa.
Grex ubi Natorum queſtus jejunia, fruſtra
Algentis implorat Foci
Numen, opemque petit.
Hæc auguſta Domus, magniſque incincta triumphis,
Mœrens inenarrabilè
Pignora rapta fleat.
Non magis ablatis catulis animoſa Leæna,
Venantis in veſtigio
Rugiat ante ſpecum.
Jam Genitrix is tunſa ſinum: ferit æthera clamor.
Atrata mutat purpuram,
Stant ſine lege comæ.
Diva, fave Pueris, (timeo mihi nam quoque Diva)
Et orbitatem Principum
Fata tenens prohibe.
Sic tua jura tremant famulæ mandataque Parcæ:
Sic omnis Umbra ſerviat,
Nec Libitina neget.
Sic te votivo Marianna figuret in auro;
Gemmiſque dulcem & oſculis
Proluit effigiem.

IV.

Legatio tertia, AD D. VIRG. LAVRETANAM IN AGRO PICENO.

ADſumus, ô cœli Nurus & Regina, profecti
Oris ab uſque Boicis,
Saxa per & ſcopulos,

Non

Non ſella Aoniâ ferri, non curribus uti
Permiſit auſterus pater,
Pegaſiove jugo.
ANCILLAM DOMINI pedites, dicebat, adite.
Non huc caballo Perſeos,
Non decet axe vehi.
Ipſa quoque ut VIRGO cognatam inviſit ELISAM,
Tranſcendit alta montium:
Nec tamen uſa rotâ eſt.
Atqui jam tumido Cœli venerabile pondus
Prægnans ferebat corpore,
Parva puella VIRUM.
Talia fatus erat. Nos, qua prærupta nivoſum
Tyrolis attollit caput,
Exſuperamus iter.
Conatum ſcis, DIVA: viæ neque pœnitet ullum,
Tanti ſit Alpes ſcandere:
Meta facit celeres.

Salutatio angelica.

ODE.

DUlcis ave, pleno ſe cujus gratia cornu
Effudit intra viſcera;
Et placuiſſe dedit
Immenſo. DOMINUS tecum, qui temperat Orbem.
Ille, ille præſentiſſimus,
Interiorque tibi.
O MULIER, cunctas inter fatalis amari;
Inter beata feminas,
Secula quot tulerunt,
Quotque ferent. Ille, ille tua qui ludet in aula,
Geſtante major PARVULUS,
PARVULUS omnipotens:
O quibus ille bonis intra vallatur & extra.
Non germen ullum lætius
Prodiit ex utero.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Sancta DEI MATER (precibus namque omnia flectis)
Orare NATUM ſedula,
Solve reos ſcelerum:
Nunc, dum vita manet, dum ſpiritus hos regit artus;
Et cùm ſuprema proximæ
Ingruet hora necis.

V.

LEGATIO QUARTA,

AD D. VIRG. FOYENSEM

IN BELGIO.

HEus PUERI: pulla jam vos in cyclade mittam.
Quod ſuadet anni lugubris
Portio, morſque DEI.
Exuite OEbalias chlamydes. hæc faſcia flavet,
Depone. da fraterculo
Vellera rubra tuo.
Ibitis auguſtam DOMINAE FOYENSIS ad Aram.
Eſt et Leonem Belgicum
Viſere dulce mihi.
Sed, quia longa via eſt, videar ne durior æquo,
Permitto grypha ſcandere;
Fas ſit olore vehi.
Maturate viam, licet hinc auferre *lapillos*
(Formoſa dona) *candidos*.
VIRGO beavit agrum.
VIRGINIS hæ gemmæ, ſalientia fulmina rumpunt:
Seu torva nubes intonet,
Seu Stygis olla coquat.
Centum quiſque feret, DIVA qui judice felix
Venuſtiùs ſe geſſerit.
Mittite corde metum.
Ipſe ego dictabo numeros & carmina vobis.
Sed pænulati ſupplices
Flectite genua prius.

Oratio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Oratio de B. Virg. ſub verni Iejunii tempus uſurpari ſolita.

AVE REGINA COELORUM,
AVE DOMINA ANGELORUM.

ODE.

ORbis ave Regina; cui ſubſternitur æther,
Piaque turmæ ſiderum
Ambitione micant.
Cujus certatim ſubmittunt oſcula ſceptro
Illime Mentium genus,
Mitis ave DOMINA.
Salve egreſſa ſolo quamvis ſitiente liquoris,
Ieſſæa Radix, floridum
Gignere viſa DEUM.
Salve Porta ſacræ lucis. tua tranſiit, antè
Quàm nos adiret, limina
Sol inaperta puer.
Hinc nitet alma dies. gaude pulcerrima, gaude:
Nam nulla Virgo conferet
Se, SPECIOSA, tibi.
Dulcis Amica vale, genitumque inflecte Tonantem,
Decora Mater Numinis.
Dulcis Amica vale.

VI.

DITHYRAMBUS PARTHENIUS,

A VERSIBUS LYRICIS,

ex peregrinatione redeuntibus Monachium, cantatus per ſilvas,

ANNO M DC XLII.

NOn decet intactas DOMINAE tranſmittere laudeis,
Qualibus tandem minus uſitatis
-cumque Camenis.

En

En radios & ſpicula Solis
Flammea, lucus
Arborea bene frangit umbrâ.
VIRGO bis ſenis redimita ſtellis,
Huc, age, nube ſuper
Candenteis, quibus inveheris, demitte columbas,
Candidiore manu.
Jam volucrum tacuere nidi:
Sed nos interea, Fratres, decet eſſe canoros.
Te modo in denſa, NASARENA, ſilvâ,
Parthenio, ſine, Dithyrambo
Cantemus, Puerûm non adſpernata labores.
Turba ſumus, teneri VERSUS, tua: nam Poëta ſervos
Dedicavit Alſata.
Multa vetuſtatis ſpolia & fragmenta profanæ
Roma ſacros nova vertit in uſus.
Forſitan inter ea
Hoc quoque Carmen erit,
Ereptum Bacchis, thyrſum jactantibus œſtro.
Nos alio tamen ardor igni
Impulit, quam quo furit icta Mænas.
Si placet, incipimus numeros ſine lege ſolutos
Spargere. forſan
Expergefacta conſonabit Echo;
Et quoſdam incîdet libris florentibus alni.

EX quo ſalutavit beatam
Ætherii Puer aliger oris;
Et divina replevit
Virtus, obumbrantique ſponſam
Submiſit te SPIRITUS Auſtro:
Eſt MATRIS tibi noſcere nomen
Dulce datum: ſed non ideo ſervare negatum
VIRGINIS. in geminum
Aſſurgunt encomia montem.
Ipſa tuum genuiſſe felix
Mirante Naturâ Parentem,

Pro-

Progenie prior es
Poſteriorque tuâ.
O bene, quod numquam te ſibilus anguis, aut odores
Fatalis afflavere pomi!
Tota venuſtas.
Intemerata ſui permanſit origine fontis.
Nec peſtis illum polluit veneno:
Nec pede ſacrilego fera peſſima, lividove morſum
Dente laſcivæ folium capellæ,
Nec cadentis ulla rami lapſa turbavit coma,
Formoſam faciem multæ explicuere puellæ,
Quæque decora ſuâ.
Nullæ te facies, nullæ vicere puellæ.
Quæque decóre tuo
Exſtingui ſua dona fatetur.
Pulcra quæcumque eſt, tibi comparata
Anus videtur Caſpia.
Ut Natus Matrem, ſic Mater cætera vincis,
Compendium elegantiæ.
Non tantum in manibus, ſed in ipſo Filius ore eſt.
Emicat ex oculis,
Lacte gaudioque lotis.
Iratas his vivida nubeis
Diſcutis. in placido reſpirant ſidera vultu.
Nam dominos famulata nutus
Exſpectant patientia ſigni:
Ut, quocumque caput vertis, velut agmine facto
Sponte ſequantur.
Iſte tuus, Generoſa, vertex
Natali præfertur olympo.
Hanc Aſtra terram, quæ DEI corpus tulit,
Eſſe ſuum voluere cœlum.
Hic regnas, noſtriſque facis commercia votis;
Ac, quoties excanduit irâ
A tonitru reſonabilis æther;
Mitibus ſupplex jacienda verbis

Fulmina

Fulmina mulces.
Terrigenûm ſic perge Patrona
Rite vocari.
Sollicitiſque tuas
Dicere laudeis
Alma fave, & blandi diſpenſa nominis uſum.

SIL-

SILVARUM LIBER III.

De moribus veteris ac novæ Germaniæ.

NOBILISSIMO JUVENI

NICOLAO VVARSENIO.

INCIDIMUS *in illud Seculum, optime Warſeni, quod ex pejoribus metallis plurimum ferri traxiſſe, ipſa acerbitate bellorum & continuatis diſcordiis profitetur. Vbique vaſtitas, rogi, cædes, querelæ. Ego tamen inter iſta, crebro Tullianum illud inclamare ſoleo: ô Tempora! ô Mores! Si lapidibus aut ſanguine pluit; ſi arbores de cœlo tactæ; ſi exorbitantia fulmina ſecuere nives; ſi funeſtus Cometes apparuit; cauſſas inquirimus. Tot annis plectimur ad ſatietatem: quare, aut unde monſtrifica ſupplicia ingruant, paucorum ſeu ſolertia, ſeu pœnitudo indagat. Fatendum eſt, Germaniam ab triumphali curru excuſſam, ultimis vexari modis: ſed neque diſſimulandum, penè voluntario curſu in foſſam ruere. Dubito me hercule, majorne pereuntium ſit numerus, an cupiditas pereundi. Quamquam exagitare afflictam, barbarum & crudele; patriam, etiam impium: non minùs indignum reor, de malo latiſſime ſerpente omnino*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

no tacere. Quid ſi ſtomacho ægrotantis ingeratur amarities grata, medicamentum boleti delectabilis, quo intra venas concepto, mox vivacior odiſſe incipiat morbum, gaudeatque errores ſuos perurgeri ſtimulo veritatis. Hoc breviſſime ago. Ne vulnera exaſperarem, elegi primò mitiſſimum canendi genus, quale Poëtria Sappho invenit. deinde natum teneris amoribus verſum tolerabili acrimonia ſuffudi. Adhibendi nonnumquam ſales erant, quibus vitiatum corpus defricaretur, ne computreſceret. poteram Horatii ſannis uti, fumo Perſii, Lucilii ſerra, raſtro Iuvenalis. non decebat. molles aditus quæro ad miſerabilis arcana Reginæ. Malorum ſemina aperio, primævæ bonitatis florem exſugentia: nulla interim mentione facta atrocium criminum, quæ patrando, Germania non tam ſuo genio peccat, quam aliorum. Digitum in quatuor fontes dumtaxat intendo, unde venenum præſentiſſimum fluit: quibus obſtructis, licebit iterum ex aurea veteris Ævi vena, puram felicitatem bibere. Audacter dico, Warſeni. peſſimo fato negligimus noſtra; quod ſemper meliora putemus aliena. Omnium gentium mores imitamur, & omnium ludibrium ſimus. Cum peregrinis veſtibus, mille peregrina vitia induimus, totidem pœnarum genera merituri. Iam uſitata prævaricatione, Majorum veſtigia obterentes, abimus quotidie in novas aliarum nationum ſemitas, procul arcenda, foventur ſingulari ſtudio: imo etiam magna vi pecuniæ emta, ex fatua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

tuæ peregrinatione, domum non ſine plauſis referuntur. Degeneres, minore ſumtu perire poteramus: niſi maluiſſemus cladis mixturam celebrioris ſtultitiæ argumentis cumulare. Quod quidem non neceſſariò, neque ab omnibus fieri, ſed à plurimis conſuetudine quadam ſuperbæ & petulantis incuriæ; tu teſtis es locupletiſſimus. In extera regna diverſaſque provincias miſſas, excoluiſti ſcilicet animum, non perdidiſti: lævigaſti ingenium, non infamaſti. Plus quatuor anni jam ſunt, ex quo reſtitutus nobis gratiſſimum exhibes & virilis prudentiæ decus, & ſervatæ fidei pignus. Nullæ te illecebræ mutarunt: non effeminavit aliarum gentium inceſſus, non habitus, non exempla. patrio ritu vivis: gentilicia bona commendas. candor, & priſca ſeveritas & honeſti cura intacta permanſere. Tagum in Hiſpania, in Galliis Matronam, Tyberim & Padum in Italia bibiſti: Rhenum tamen & Danubium dignitate originis, & amore natalium præfers. Accipies igitur ſenſa animi tui æque ac noſtri benevolus, & pauculis expreſſa pagellis, mutuo conſenſu atque auctoritate firmabis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

ODE I.

Felix ſtatus Veteris Germaniæ.

MENS in antiquos agitat revolvi
Teutonum moreis, & euntis ævi
Diſpares Faſtos aperire. Montem
Pandite Muſæ.
Nempe florebas Alemanna quondam
Patrio pubes bene lota Rheno:
Cum tuos ſacra trutinavit urnâ
Corniger ortus.
Pura Naturæ facies amabat
Picta camporum, nemorumque denſa:
Inter et grato ſtrepitu loquaceis
Ludere Nymphas.
Cæduis ſtabat caſa tecta ramis.
Una Paſtori pecorique eamdem
Vix ſuo major domus inquilino
Præbuit umbram.
Ad ſpici dignam ſine fraude prolem
Uxor ingenti peperit marito:
Larga diſtenti dare militareis
Uberis offas.
Arborum veſtis, fuit & ſedentis
Arborem ſubter. tamen & ferarum
Pelle, vel lento Pudor integebat
Vimine corpus.
Nullus exemti lapis arva fundi
Clauſa ſignabat, prohibens colonum.
Omnium fundus fuit unus, & COM-
MUNE BEATUM.
Meta compreſſi nebuloſa lactis
Glande dimota ſubigebat iram
Ventris, & fumans calidis ad ignem
Pultibus olla.
Hinc valens corpus, generiſque magni
Stirps, & erectum ſuper aſtra pectus.

Suda mens; grati, facileſque læto in
Gramine ſomni.
Diis bonis, non ex Nomadum metallo
Ara ſurgebat, Phrygiave rupe.
Sat fuit cæſpes, genuumque ſupplex
Luna cadentum.
Cum vaporatæ tonuere nubes,
Et domum quernam tremefecit æther;
Nemo pallebat. ſteterant ad hæc ſpe-
ctacula recti.
Crevit in reges animoſa Virtus;
Chaonum ſilvis penitus relictis
Sceptra diviſit, populum coëgit,
Condidit urbeis.
Marmor advectum ratibus, quadrigis;
Quale producit Thaſus & Caryſtus:
Quale lucentes maculæ cruentant
Synnade cæſum.
Pro ſpecu grandes habitantur aulæ.
Hiſpidos mutat tegetes luporum
Purpuræ fulgor, Tyrioque læna
Murice tincta.
Plura Fortunæ cumulo parantis
Mundus acceſſit: Latiique ſummus
Cæſaris vertex, Aquilæque formi-
dabile fulmen.
Sors adhuc tanti toleranda Fati,
Donec hoc digni viguere mores:
Integer Mavors, Venus æqua, juſti
Copia Veri.
Fluxa Germani ſemel elocuti
Verba, mox inſtar lapidis rigebant.
Vocis & facti tenor ex utroque
Unus & idem.
Quiſque contentus, quod habebat, illo
Duxit optatos ſine fraude ſoleis.
Rara vel Crœſi ſoboles, vel Iri,
Prava ſequentum.

Com-

Concha ſinceri ſalis, & Lyæus,
Cum bono vultu ſatiabat omneis.
Divitem pauper, tenuemque opimus
Juvit amicus.

Virgo ceruſſæ nihil imputanda,
Virgo cuſtodi vigilata nulli,
Ibat in campos, & amoris hortum, &
Virgo redibat.

Turpe credebant, niſi nuptialem
Nona ſignaſſet trieteris annum;
Ante barbatos Hymenæa vultus
Sub juga mitti.

At ſimul dulci medicata morte
SAXO commovit furialis arma:
Et Fides, & Pax rabiem Lutheri
Territa fugit.

In locum quarum ſubiere peſtes:
Mentium carbo niger, os bilingue,
Frons in obliquo caperata vultu,
Sæva libido.

Plumbeæ durant mala tarditatis.
Ad nefas ſoli properant amores.
Virginum livens & adhuc acerba
Carpitur uva.

ODE II.

Prava aut perfunctoria Germanicæ Iuventutis educatio.

HOc queror, TEUTO: nimis oſcitanter
Educas fetum. pater impudenteis
Diligis pullos, eadem daturos
Ova nepotum.

Dente vix nato, malè feriatus
Vincit ætatem puer, & protervâ
Fronte firmatur; ſcelerumque curſu
Tranſilit annos.

Aleæ ludum procul amoveto,
Et canis talum leviter cadentis.
Crimen ad fontem redit, unde viſum
Filius hauſit.

Oſſeum quando ſenior capaci
Verſat in menſæ tabula fritillum;
Teſſeræ præſens notat arma Coæ
Junior Heres:

Major urgebit loculos. honorem
Mutuum laudo. reverere canos,
Inquis Ænea: venerare criſpos,
Dicat Iulus.

Ille te molleis feriente chordas,
Martis audaceis lituos amabit
Utilis bello; quatietque magnam
Hectoris haſtam!

Parce te vanis onerare votis.
Semper exemplo meliùs docetur:
Si, quod in Gnato toties requiris,
Feceris ante.

Cecropis ſedem fugiens, alumnis
Præcinit mœſtum Philomela carmen:
Et vagis coram Satyris cruentum
Terea damnat.

Cera dum mollis, ſinit erudiri.
Dura quid diſtat lapidi? tenellos,
Qua cupis forma, ſinuabis annos
Pollice ductos.

Viſa ſpectator memorabit olim,
Ipſe mox factis memorandus actor.
Mentis in raſa facilis tabella
Scribitur error.

Omne cum longis vitium capillis
Creſcit in pejus. nigra ni lavetur
Culpa prætextæ, toga num virilis
Pura manebit?

Nata præſertim trahitur parentis
Præviæ noxa. ſequitur per omneis

Æquo-

Æquoris fluctus vetulam triremim
Cymba triennis.
Puſa, quantilla eſt? tamen et capillos
Lenè concinnat, ſpeculoque formam.
Jam rubris aureis onerat cylindris,
Colla monili.
Prima dos, fucus. neque, ſi ſupellex
Deſit, ornari ſtudioſa ceſſat.
Se ſupra vireis animoſque, & arcam,
Veſtit & ungit.
Parva de dulci Veneris lagenâ
Audit & guſtat, timide jocoſa:
Seque miratur, cuperetque pictis
Ire cothurnis.
Jamque ſcintillas animare riſu
Novit, æquali ſociata ſponſo.
Pulcra, ſit præcox: amat in foro venalis haberi.
Crede frugalem. fugiente primùm
Vina quæ libat modice labello,
Major ad trullam veteris ſedebit
Spongia Bacchi.
Itur ad ſaltum: poſitaque tela
Siſtra ſumuntur. trepidare læta
Diſcit, & molleis pedibus referre
Gaudet Iones.
Sic novæ fiunt Helenæ procaci
Nobiles flamma. poterunt et iſtæ
Igne famoſo titulum mereri, &
Vertere Trojam.
Talis OEnone Canaceque fuſca, aut
Alba Briſeis cupiet ſonari.
Vilior ſexu pudor, ære fama,
Corpore mens eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

ODE III.

Exteri mores in Germaniam illati, contra inſulſum hominum genus, AL MODO *dictum.*

PAtrii migrant, ſubeuntque contra
Exteri mores. avide ſitimus
Criminum fonteis, vitiumque longo
Diſcimus uſu.
Itur in mundum quater enſe ſectum.
Jamque vix ulli ſatis eſt in annum
Gleba natalis. redit ille Gallus,
Italus iſte.
Ille nec Gallus tamen eſt, nec iſte
Italus; ſed quod peregrina vidit,
Simiæ miras imitata veſteis
Simia narrat.
Jamque permiſto fluvii meatu
Ora confundunt. vagus Hermus OEnum,
Sequanam Rhenus, tepidus ſalutat
Mincius Iſtrum.
Qualè corrupto vitioſus amni,
Maſculum Tybrim violavit olim
Semper aſſuetus citharis Orontes,
Vindice nullo.
Nil ſibi magnum ſtatuit cupido
Multa ſpectandi. placet error Orbis.
Ut gulam monſtris oculoſque paſcat.
Omnis in hoc eſt.
Ecce braccatæ decus, ecce noſtræ
Gloriam gentis. Rechedipna ſumſit:
Et duum cenſus patrimoniorum in
Corpore portat.
Fulgurat thorax ſcutulatus auro.
Ceu volaturum manicæ capaces
Aëris plangunt. retinent trilici
Gauſapa nodo.

Flu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Fluminis ritu vada negligentis
Sparſa reſtagnat coma. mille formis
Pilei ludunt: operoſa cingit
Spira galerum.
Mygdonis ſupra caput inſtat ales,
Pendulis tergum quatiens flagellis.
Barba vel ſilva eſt, vel acuta nullam
Projicit umbram.
Barbaras jactat didiciſſe voceis.
Barbarus trudit male nata verba.
Barbara fictum modulatus ampul-
latur in arte.
Lingua Celtarum, vel Ibera tanti!
An ſuas ROMA repetente plumas,
Nuda non *Cornix* iterum moveret
Ludicra riſum?
Teutonum ſermo ſibi debet ortum,
Liber & princeps; thalamumque honeſtæ
Matris oſtendit: reliqui feruntur
Pellice nati.
Qualis incedit ſonipes per urbem,
Qualis aſturco! populum frequentem
Submove lictor: comitatus intrat
Sulla ſenatum.
Ut ſibi plaudit! (licet omne vulgus
Sibilans roſtro crepitante damnet)
Factus ad mirum jocularis unguem
Cercopitheci.
Amphoram credas: ita corpus omneis
Gyrat in parteis. nequit inquietus
Stare, cùm fractis miſeranda lumbis
Ilia ducat.
Bella ſubmugit quoque. mire ferrum
Pendet à tergo, dubiumque Martis.
Tutus accedas prope, neſcit enſe
Cominus uti.
Sæpe vaginam mutilata vulpes
Implet attingi metuente caudâ.

Serio miles lepide ſeverus
Ceſſerit hoſti.

Trans maris fineis tamen hic cucurrit
Axe mutato: bipedemque aſellum
Rettulit, qualis fuit ante, mentis
Semper iniquæ.

Vidit Empuſæ nemus, & volucreis
Squameas Cydni, niveoſque corvos.
Se quidem numquam, tamen alter Argus
Omnia vidit.

Nil verecundi ſalis aut aceti,
Nil habet mellis piperiſque caſti:
Cyprias rauco vomit ore feces
Plenus amurca.

Quæque feſtivis ſapiens Camenis
Nolo vulgari: quis enim nefandos
Poſſit errores, animique totum
Prodere fucum?

ODE IV.

Matronarum Veteris Germaniæ laus: Alemannidum noſtri Seculi, quæ ALMODISSÆ *nominantur, luxus & impudentia.*

UNde Germanus, memorate Muſæ,
Non priùs viſis ſcatet hortus herbis?
Unde tot natas rear eſſe LAPPAS?
Dicite Vati.

Temporum quid non minuit vetuſtas!
Nulla noſtrates Juvenis rigore
Vicerat: jam vix levitate vitæ
Vicerit ulla.

Appulas quondam numerare matreis,
Torque non comtas licuit Sabinas:
Scorta quot famæ modo proſtitutæ
Caſtra ſequuntur.

Ante

Ante centenas fuit illa meſſes
Virginum florens ſeges atque meſſis:
Nulla pingebat placitura caſtum
Unguine vultum.
Nulla vel pago tenui *Lycoris*
Nata, vendebat precio pudorem:
Cruda lenoni, ſceleriſque probrum
Ferre ſuperba.
Altior ſanguis, Iove digna proles,
Arduæ certans humeris Dianæ,
Non recuſabat famulæ diurnos
Ferre labores.
Illa tantiſper poſita recenti
Purpura, tritam retinens lacernam,
Prima diſcuſſis tenebris ſub ortum
Stabat in agro.
Hic & æſtivum tolerare ſidus,
Et ſitim, plenis operata ſpicis;
Donec increſcens reducem vocavit
Montibus umbra.
Teutonum fontes properate retro.
Nam retro virtus Veterumque fama
Ceſſit, & morum tenueis in auras
Gloria fugit.
Virginum multæ ſibi nomen aptant:
Virginum moreis aliis relinquunt.
Uberis ſexus quota ſe fatetur
Teutone natam!
In foro fontem veniunt ad unum
Diſſono cultu, THYMELE Latina,
Thuſca BARINE, LALAGE Britanna,
Franca NEAERA.
Conde luctanteis meritrix papillas.
Diſplicet, quæ ſe tegit indicare.
Arguit cæcos animi receſſus
Pectus apertum.
Quid magis fictum? lacrymæ docentur
Neſcias veri ſimulare guttas.

Regnat alternis, leve *Majus* extra,
Intus *Aprilis*.
Talis incedat ſoboles Iapheris?
Semper inconſtans, variæque lunæ,
Prona mulceri novitate rerum
Femina gaudet.
Cum feneſtratas lapis Indus aureis
Hauſit, & mixti tremulis elenchi
Sardiis ludunt; vetitum profana
Quidlibet auſit.
Hæc tamen Solis minimum calorem
Increpans, quovis morietur æſtu:
Frigidam pavo niſi motus alis
Ventilet auram.
Omne languenti nimium. gravatur
Carbaſo; damnat leviora pennis
Texta, ſublimem quibus ad volatum
Utitur Eurus.
Pompa ducenda eſt? ferat una, quot nec
Mula portabit onerata veſteis.
Ponè turritam Cybelen videbis,
Antè Dionen.
Specto criſtatam. Superi tenetis
Fulmen, & tantum Superi tenetis?
Tam ſacrum nullos fabricavit Ætna
Sulphur in uſus!
Subter ingentem petaſum capillus
Horridæ præfert aliquid Meduſæ.
Fallor, an caudam capiti pudico
Fixit equinam?
Quale portentum mulier jubata!
Forſan & ſicam teneat latentem.
Immo jam quædam caligata prodit:
Adſpice ferrum;
Hæret affixum lateri Camillæ.
Flava bellantis ROSIMUNDA Rheni,
Miles ô noſtris Alemanna campis
FULVIA ſalve.

Sic decet palo ſolidare vireis,
Et manu totum pepuliſſe ſexum:
Quando jam torpor nimius virileis
Fluxit in enſeis.

ODE V.

Diſciplina militaris noſtro ævo profligata.

IAm Venus totis galeata caſtris
Regnat, immiſcens Aquilis columbas.
Quot viri currus, tot agunt rubræ pe-
torita mœchæ.
Miles hibernis fruitur profundis:
Et triumphatæ bona longa pacis
Portat in Brumæ gremium, ſupini
Dedecus otI.
Interim, quidquid generavit annus,
Pingue, ſeu macrum, jugulatur uno
Ventris adſpectu: calet & dehiſcit
Omne macellum.
Quod ſatis, non eſt gula: plus requiruntr.
Pellis urgetur tenuis coloni,
Inque ſternendæ laniata mappæ
Scinditur uſum.
Calcar impactum reſerare cogit
Vina ſecretæ potiora teſtæ.
Ultimi numquam Laris abnuentem
Tegula ſervet.
Hic ſub umbella referunt triumphos
Cantharum juxta. digiti falerno
Caſtra depingunt. acies & urbeis
Suſtinet aſſer.
Facta laudandi memorem Perilli
Digna mugitu! furiis aguntur.
Teſſeram belli, ſcelus eſſe credas;
Præmia, furtum.
Fortis in ſolas Capaneus puellas,
Corpus expugnat; Superiſque coram,

Falſa perjurus ferit exſecrando
Verba palato.
Hæc palàm. vernos ubi pellit æſtas
Altior ſoleis; numeroſa tandem
Turba crabronum movet, & ſtrepenti
Perſonat ære.
Ultimùm dulces caſulæ ſtetiſtis.
Villa vaneſcit: rapiuntur unà
Vaſa cum tectis, inhumatus infra
Villicus ardet.
Spes, opes, cives, focus, Ara longâ
Strage procumbunt. nocet iſte ferro,
Ille Vulcano. tabulata ſidunt:
Culmina fumant.
Plorat occiſo mulier marito.
Plorat exſtincta genitrice proles.
Flet, licet damnum lacrymæque cauſſas
Neſciat infans.
Præda cum corvis procul avolabit;
Danda: ni cœlum ſubeunte capro,
Mox ad antiquam truculentus ollam
Prædo rediret.
Rurſus injuſtæ dapibus rapinæ
Lauta menſarum redolet paropſis.
Annus, eſt orbis. redeunt in orbem ad
Pabula nati.
Faginis Priſci cyathis bibebant:
Thracio caſſis radiabat auro.
Pulcer ornavit capulos iaſpis
Raptus ab hoſte.
Nunc vices verſæ. mini mùm niteſcit
Enſis: è gemma ſcyphus expolita
Surgit, & Bacchi madidam meretur
Ferre coronam.
Non minùs fortes tamen arma jactant:
Hercules verbis, Parideſque factis.
Muſa quò tendis? tacitum manu com-
peſce labellum.

ODE

ODE VI.
AD GERMANOS,
Conſilium Auctoris.

NOn et Antiqui, mea cura, TEUTO,
Non Avi tales obiere noſtri.
Prima majorum repetantur acta.
Accipe Vatem.

Aureæ legeis Mediocritatis
Scribe ſervandas memori juventæ.
Penna ſit nido minor, & ligonis
Fortior uſus.

Vivitur paucis etiam beatè.
Sunt opes, nullas cupiiſſe, magnæ.
Læta paupertas facit ipſa lætos,
Sobria forteis.

Bella non propter cumulanda bellum;
Sed bono ſanctæ minuenda pacis,
Eſt et in falcem gladiis recuſis
Utile ferrum.

Neu vagi terris, & ubique nuſquam,
Cuncta miremur meliora noſtris.
Clarus exemplo præit & recepto
More POLONUS.

Ille Germanæ ſpeculatus Aulæ
Marmor & Gazam; ſibimet fidelis
Perſtat, & caulæ Borealis inter-
nodia præfert.

Quidquid oſtendas, habet *Vrſa major*
Majus, à primo celebrata Lecho:
Et minùs peccat *minor Vrſa* ſcuto
Picta paterno.

Veriùs, TEUTO, potes invideri.
Heu! redux Matrem, cave, ne ſalutes
Ore Gallorum; Sequanam ſub ipſas
Evome portas.

Vappa linguarum, putriumque vocum,
Unico ructu ſtomachi levanda,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Solus Arpinas toleretur & Ver-
nacula Gentis.
Nullus in ficto Polycletus ore
Artifex ludat, variuſque Mentor.
Verba, res fiant: Alemanna, ſaxum
Immobile Veri.
Virgo Veſtalis ſciat ignis uſum:
Neſciat flammas, quibus arſit Ida:
Neſciat Cyprum, meritiſque vernet
Tænia ſertis.
Nuptias Pelei taceat Catullus.
Sponſa maturis adoleſcat annis.
Sacra ſcindatur prius ex adulta
Arbore tæda.
Sepiat ſpinis teneram verenda
Socrus ætatem, vigiletque mater.
Cæca momento perit inſitivi
Fomitis igni.
Noverit, quanti ſtet honeſta Virtus:
Dulcis ignoret precium Lucelli.
Dividant horas colus, & Camenæ, &
Pulvis, & arma.
Præmium duros acuat labores.
Laude, ceu campi pluvia rigentur:
Ne ſpei primæ moriatur ipsâ
Meſſis in herbâ.
Vena ſinceri redeat metalli.
Simplices nudent animos amici:
Et gemens umbras opulentioreis
Efferat Heres.
Turpis à luctu crocodilus abſit,
Flere crudelis: neque lacrymoſos
Pallio riſus latitans ſub atro
Digerat imbres.
Livor, & faſtus, ciliique torva
Frontis obliquæ ſeges exſecentur.
Pendet in præceps animi ſuperbi
Celſa crepido.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

SILVARUM
LIBER IV.

Threni, ſive lamentationes VIDENTIS *vaſtationem Germaniæ.*

AMPLISSIMO VIRO
BARTHOLO LICHERIO.

SANCTISSIMI *Vatis exemplo, Solymæum excidium, ſub Nabuchodonoſore deplorantis; ipſe quoque Threnos, in communi Germaniæ ruina, compoſui. Debui hoc ultimum officium cariſſimæ Patriæ, in mortuam jacenti. Debui amicis, Domitio Baſcaudo, Paullo Riverna, idemtidem ad hæc Parentalia exſtimulantibus. Et Riverna quidem, cùm anno hujus Seculi quadrageſimo, Warenbergæ de calamitatibus ævi noſtri loqueremur, in occaſionem adhortandi me dilapſus, quiritabatur: Germaniam cum ignominia letoque conflictantem, ne Vatem quidem reliquum habere, qui morienti Leſſum canere dignaretur. ſimul invidioſiſſimo obtutu perſtringens ex adverſo ſtantem, ingratitudinis & ignaviæ damnare velle videbatur. Ego nonnihil intumeſcens, libere in hæc verba: Navi deploratam ſentinam trahenti, lamenta otioſorum remigum non prodeſſe. inſiſtendum potius viribus, ut remulco & contis ad portum deducatur. fruſtra complorationes adhiberi*

jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

jam ſurdo funeri. Quod ſi lugubres cærimonias honoraria conſuetudo poſtulat; ad illos, ſcilicet, munus iſtud Libitinarium pertinere, qui Germaniæ, ut citius periret, anancæum poculum præbuiſſent. me innoxiis uſque adhuc ſtudiis operatum, ad interitum properanti Reginæ nullum venenum miſcuiſſe. cur tam diu tolerentur illi, quibus fuligine politica infectis, fas & nefas diſcreta non ſunt: imo cupiditatibus in flagitia ſolutis, penè nihil ſanctum. abſorbere eos optima conſilia aliorum; at ſi quæ ipſi dediſſent non omnino peſſima, fuco latentis avaritiæ illinere. Stolidum inſuper faſtum admiſceri cuniculoſis ingeniis: quæ inſimulata detectæ fraudis, ſuperbiùs ſe ulciſcantur; non deprenſa, latiùs peccent. pernicioſiſſimo more, & in omnem poſteritatem ſparſuro infamiam, nutriri factioſos homines; intentoſque in ſemina jurgiorum, everſa pace, quæ jam in manibus erat, cladibus aliorum ſaginari. neque ad tam occultam prædandi dulcedinem afferre laborioſam induſtriam; ſed potius luxum turpiſſimi otii: quo in artificium officioſi ſceleris diſpenſato, ignorantium Dominorum injuriis ſecurius fruantur. præmia nonnumquam audent poſcere, quia rei ſunt. In caſtris vero, quam fœda exempla, ſui impatiens libido protruſit! publica res paſſim infra privatam habetur. diſciplina caſtrenſis numquam minùs viguit: nocentiſſimum æmulandi ſtudium numquam magis. ambitione macerati duces, pulcherrimas vincendi occaſiones neglexere. Dum enim in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

exiguo ſupervacanei honoris puncto, perſonæ ſuæ dignitatem extendere moliuntur; hoſtis plerumque ſupervenit altercantibus: decuſſit utrimque cornua, per ſtrage deformes campos, in viſcera Rom. Imperii ductus. nulla arma ſuffectura erant evertendo Teutoni, ſi lacerata ſeditionibus membra, ad defenſionem tanti Corporis conſpiraſſent. Nunc cum ad extrema deductus, ruptis venis purulentum cum ſpiritu ſanguinem ejiciat; ad feſſum & faſtidioſum Poëtam pro levamine itur.

Hæc aliaque animoſe diſſerentem, ac plura paraturum, Riverna interpellans: Omitte, ajebat, acerbius incuſare humanarum rerum vices. Quod afflicta caſibus Patria, ſub pondere bellorum ingemiſcat; totum hoc pravorum hominum machinationi adſcribis? nihil Fortunæ imputas? nihil Orbis inconſtantiæ? evolve annales; ſemper invenies Seculorum Rotam miris eventibus gyrari. perpetuâ viciſſitudine excoquuntur & mutantur regna. Roma ſimul ad faſtigium pervenerat, è ſeptem montibus deſcendere coacta, in Hercyniæ noſtræ ſaltibus quievit. Alemanno robore rurſus erecta atque confirmata; en, iterum deprimitur, ac mortali tantummodo manu ſuſtentatam ſe probat. Nimirum ſub Lunæ maculis æternum aut illime nihil eſt. Summa quæque fulminibus obnoxia ſunt. titubant à vento et grandes quercus. Solem ipſum quandoque caligo turbat. Veriùs ergo in Fatorum ordinem retuleris tuæ Philippicæ fragmentum. Fata incubuere toti

Europæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Europæ, exprimentia confeſſionem tributariæ ſervitutis. Meruimus pœnas, non diffitemur: & damus. Sed num ſola Germania peccavit, ſola luit? de gente in gentem vindicta transfertur. Audimus ubique Rhamnuſiam, & Furias ultrices bacchari: aperiri ſceptris tumulos, & in mediis coronas crepare incendiis. cerne Angliam, Scotiam, & Hyberniam: cerne Franciam & Hiſpanias: cerne Italiam, an non etiſtæ ſuis cupiditatibus mactantur? Fortaſſe brevi Suecorum procellæ deſæviet: &, Aquilone depulſo, clementior nos afflabit Zephyrus. fugabuntur nubila: eriget Patria depreſſum caput. Interim feſſis rebus qualecumque ſolatium afferre decet. Si hilaris muſica, in luctu importuna narratio eſt; triſtis, opportunum erit levandi mœroris condimentum. præſertim ubi miſera intellexerit miſerantis affectum. Nam cur epicedia properantur, niſi, ut quantum dolori juſto indulgent lugentes amici, tantum detrahant conducti ſiticines? Quid calamitoſius everſâ Trojâ fuit? Troadas tamen juvit, Buſti ſui memoriam decantandis verſibus conſecrare. Modulatæ voces aurium beneficio transfunduntur in pectus, fontem ſuſpiriorum: quæ ibidem recepta, velut in ſinu ſuo ac ſede natali amant conquieſcere, & ſolitariâ voluptate animum perfundunt. Illi excitandæ ſi vaces, ipsâ triſtitiæ copiâ uſus; ſapienter ac decore feceris: inibiſque gratiam omnium eorum, qui tædia vitæ fallere volent, occinentium ſibi funera, tamquam aliena, tametſi ſua.

Per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Perſuaſerit volenti Riverna, an nolentem coëgerit, neſcio, Ampliſſime virorum LICHERI. *morem tamen geſſi: & indignantis impetum in Lamentationes, eodem anno, verti. Hoc ſcio: Conſiliarii omnes, ſi tui ſimiles forent, cauſſas gemendi nullas habuiſſem. Adeò publica res & ſalus tibi cordi eſt. Imperii Rom. arcana, clauſa pectore, ac velut annulo conſignata, portas in capaciſſimo memoriæ receſſu. Salutari prudentiæ ſuperaddita fides, cæteras dotes exauget. Burrhus, Thraſea, Cato in unum commigraſſe videntur. Itaque ſepoſitam à negotiis horam, non illibentur, ut exiſtimo, exclamationibus noſtris, à foro tuo non alienis impendes. Experimur eruditos ac graves viros, minus Comicis delectari, quam Tragicis. Alterum enim, quia populare ac facetum eſt, ferme in ore populi tantum ciet riſum; ut facilem motu, ſic cum mimo ac fabula mox evaneſcentem. Alterum, actione ſeria, bene moratum ſpectatorem, copioſiùs inundat: qui dum patheticis impletur numeris, præſentia præteritis conferens; ſentit liqueſcere cor, percellique, ſi non vero gaudio; attamen triſtitiâ pæne mulcenti, &, quam libenter foveat, minimè odiosâ. Eo propemodum genio feruntur, & exæſtuant hi Threni: non nuda ſimplicique voce recitandi, ſed inter exſequiales gemitus eluctandi.*

Pone ergo tibi ante oculos Matronam, qualis Hecuba Priami, vel Hectoris Andromache fuit, exercitato quidem vultu; quem tamen optimum dicere poſſes, niſi lacrymarum madore

deſtru-

deſtructum, dolor & ira truculentiùs pinxiſſent. finge, poſtquam lætitiæ chorus in theatro, ad Heroidis interventum ſubitò conticuit, inambulantem, & Camenarum mutatione ſuſpenſam: hinc urbium, inde civium cadavera congeſtis acervis fumantia intuentem: quorum aſpectu irrequieta jam ploret, jam ſtupeat. modò lumina tollat in cœlum, modò dejecta ſepulcris affigat. vix reſederit, & languida repente procumbat: rurſus conſurgens, ſe major mutanſque ferociter veſtigia omni ac nullo ſitu certa, nunc utramque palmam protendat; nunc digitorum articulos, gremio tenus demiſſos innectat. Si accedant crebri ſingultus, interpolata & anhelantia verba, varia tempeſtas oris, exerrans facies, capillitium ſparſum, ſubinde inanes mœſtique riſus: ipſa, reor, diſcordium malorum confuſa majeſtas, timendam faciet & miſerandam. Talem Germaniam exhibeo. plorat, gemit, iraſcitur, ſuſpirat: ſupplex & magnanima, ſibi aliiſque inſultat. Nunc ipſa, nunc Vates; quandoque amici & hoſtes colloquuntur. Flebile chaos ita miſcui, ut ſummæ rerum perturbationi, perturbatus querendi reſponderet modus. Pleraque propter ripas Iſaræ meditatus ſum, ex fluminis curſu Euphraten animo ſpectandum ſubjiciens, olim Babylonica captivitate, & Iudæorum ululantium clamoribus famoſum. Naſcuntur ibi et ſalices: è quibus Citharam meam, in luctum verſam, ſuſpendi.

THRE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

THRENODIA I.

Flendum eſt, Sodales; ponite tibias.
Commiſſa ramis fiſtula pendeat
Tantiſper, appenſaſque ſervent
Amnicolæ ſalices Camenas.

EHeu! capillis turpè fluentibus
GERMANA VIRGO depoſuit roſas; *
Sciſſumque deformata vultum,
Heu! cineres dat habere calvæ.
Quis fletus aurem perſonat, ac ferit
Clamore nubeis? * Inſuperabilis
Regina terrarum, ſubacta,
In viduo ſedet orba luctu.
Abrupta qualis cum ſonitu cadit
De rupe moles: ſic ALEMANNIA
Præceps ruiſti. * per remota
Intonuit fragor arva latè.
Vindicta numquam tarda venit, ſuis
Suſpenſa Fatis. * frugibus admovent
Momenta tempeſtiva falcem.
Flagitiis ſuus inſtat ultor.
Ciete nimbos lumina. tranſeat
In ſtagna mœror. * ceu Rhodopeïa
Nix vertat in fonteis, & Æmi
Deciduas reſoluta brumas.
Trudam liquenti flumina corpore. *
Captiva plorans agmina Virginum
Specto, juventutiſque florem
Vandalicis dare terga loris.
Exempla nullis credita Seculis,
Credenda nullis, noſtra licentiùs
Peccavit Ætas: * quam malorum
Ferrea diluvies inundat.
Ex quo *Cometæ* protulit igneam
Vertigo caudam, quis placidus mihi

Illuxit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Illuxit Annus ? * Pax frementem
Trans Tanaim Scythiamque fugit.
Serente Bello, ter decies propè
Haſtis per agros meſſis inhorruit: *
Juxtaque Cadmæos bimembres
Armiferi rubuere ſulci.
Injuſſa tundit ſollicitum manus,
Sed certa pectus. * Supplicio gemens
Impendor, extremiſque pœnis,
Victima nil miſerantis Hunni.
Confoſſa telis, lubrica ſanguine,
Exuſta flammis, cur traho ſpiritum? *
In quæ reſervor monſtra, quali
Vivo ſuper perimenda Leto?
Diſtendo ventrem, nec pario tamen.
Perturbor omni mortis imagine. *
Intrà timores, hoſtis extrà:
Septa foris, premor intus æquè.
Non ipſa Regni clauſtra, nec editæ
Tutantur arces. * nubiferæ jacent
Turres, ſupinatæque portæ, &
Mœnia procubuere fundo.
Ahena propugnacula, ceu caſæ,
Disjecta, ruptis vectibus ac ſeris. *
Menſura ſtructuræ, ruina eſt:
Ex tumulis tumulata diſce.
Hiant abactis oppida civibus. *
Gingiva qualis, quam vacuam molæ,
A ſtirpe convulſi cruento
Verbere deſtituere dentes.
Sic cùm Libyſſæ vallibus aviis
Feræ juvencos corripuit fames; *
Silere deſolata cernas
Paſcua, flumineoſque tractus.
Non flos juventam, non tremulum ſenem
Redemit ætas. * funera ceſpite
Diſcreta nullo, Fama, Virtus,
Forma, decor, jacuere juxta.

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Quid hoſtis addat? ſenſimus additum:
Amare cogit: caſtiùs oderat. *
Dies maritis, nox puellis,
Cuncta mihi metuenda reſtant.
Aude fateri. parvulus, heu pudor!
Noſtro Gothunnus pendet ab ubere. *
Stupris inhorreſcente lecto,
Heu! canibus peperere matres.
Immanis intra viſcera murmurat,
Pectuſque mergit triſtitiæ ſalo
Commota tempeſtas ab imo. *
Corde dolor fluitante latrat.
Infauſta. moles ipſa tibi nocet.
Pedem ex agreſti profuerat ſpecu
Tuliſſe numquam. * cur dediſtis
Sceptra mali nocitura Divi?
ROMANUS ORBIS, per nimias opes,
Ut interirem ſplendidiùs, viam
Honore ſtravit. * me favores
Interimunt, & iniqua dona.
Ergo, ut Latino *fulmine* plecterer,
Luſurùs iſtud JUPITER in manus
Conceſſit! * idcirco miniſter
Additus, officioſus *Ales*!
Liceret ALPES ô utinam mihi,
Et nota QUADIS luſtra reviſere! *
Errare malim per profundum
Hercyniæ penetrale ſilvæ.
Compellor ægris Urbibus, omnium
Perferre morbos. * Reddite ſimplicem
Cibumque, potumque, & cavernas,
Antraque, Cœlicolæ, ferarum.
Contenta vixi glande beatiùs. *
Expellat ilex & cuneus famem:
Muſcumque præterlapſa ſiſtat
Limpha ſitim, ſine fraude gemmæ.
Agnoſcat & nunc me TACITUS ſuam: *
Parvuſque Rheni BRUCTERUS alveo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Lavandus abſolvat parentem;
Atque uterum probet eſſe caſtum.

THRENODIA II.

QUænam iſta, texit nube BOHEMICUM
Caligo cœlum? * cur Phaëthon comas
Avertit intortas, & Urbem
Nimbiſona face terret æther?
Hinc ille Serpens Regulus, & *Paris*
Egreſſus *ater.* * Sed repetit ſuam
SECUNDUS, ereptamque cingit
TYNDARIDEN MENELAUS armis.
Fax PRAGA belli. Sic ubi decidit
In arboretum tæda volatilis: *
Vix una fagus cepit ignem;
Continuò nemus omne lucet.
Turreiſne ſterni dixeris, an meti? *
Tot, tamque certis ictibus erutæ
Labuntur, & pronæ recumbunt;
Qualè ſeges jacet icta falce.
Muros poteſtas altior impulit
Majore motu. * PARTHENOPE flagrat
GERMANA; combuſtaque rugit
Funereus ſuper urbe leſſus.
Si paruiſſes aſpera TILLIO
Injurioſæ VIRGO protervia: *
Adhuc eadem fronte ſtares
Saxoniæ ſpeculata campos.
Urbs nulla pinnas altiùs extulit:
Urbs nulla faſtu fœdiùs occidit. *
Jaces anhelantum favilla, &
Teutonicæ nova forma Trojæ.
O feminarum flos Alemannidum!
O mœſta ſciſſo crine MOGUNTIA! *
Quot intulerunt flenda Mœno
Damna tuo gelidi Triones!
FRANCONIANI vinea Liberi
Implevit Hunnos. * Non tenera manu

Delibat

Delibat atrox Suecus Hortum:
Sed rapido pede calcat uvas.
Ut taurus olim Pannonis, in caput
Quum traxit iram, & cornua ſuſtulit: *
Obnixus adverſi cruore
Colla lavat, penituſque frangit.
Impubis ætas, per juga montium
Raptata, laſſos debilitat gradus; *
Cogente panthera bidenteis
Invalido properare paſſu.
Quàm curta nudat, RHAETIA, te toga!
Vix palpitantem crure tenus tegit. *
Humum tueris tracta fune,
Serva flagris onerata dorſum.
Allidis, eheu! jam tribulis famem,
Sitimque tophis. * Audio murmura:
Ancilla centum digna probris,
Perge, tribus redimenda nummis.
Fortaſſe arenas littoris, aut Noto
Ciente fluctus enumerem maris: *
Sed non PATERBORNAE dolores
Metiar, AUSTRASIAEque luctum.
Quantam ore Nilus jam niveo ſatur,
Eructat Auroram in mare: * ſe mihi
Infudit improviſa Balthis,
Et patrias malè merſit urbeis.
Non pons ſoluto ſubſtitit objice:
Non porta ſævum diſtinuit Getam. *
Ut flamma per ſilvas, vel Eurus,
Per BAVARAS equitavit oras.
Ac ni feroceis ANGLIPOLIS minas
Fregiſſet Hoſtis: * jam Stephani ſupra
Turrim, coronatas VIENNAE
Deſpiceret metuendus arceis.
Iſtine vultus ALSATIAE meæ,
Hi ſunt ocelli! * non decor in genis,
Non gemma collo; non in ore
Gratia purpurei coloris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Tu Diva felix, ac Berecynthiæ
Æquata Matri! * vix mihi noſceris.
O qualis, in qualem, Cybelle,
Heu! facies tua fluxit umbram!
Jam nota vox eſt prætereuntium:
Hæc illa *Sedes Nobilis*; annuli
SMARAGDUS Orbis! * funeratæ
Vah ſpecies miſeranda Terræ!
Tarpeja Rupes Auſtriaci Jovis,
Captum BRISACUM. * ſcilicet hoc Tagus
Vindex, & humenti ſub antro
Cornigeri ferat unda Rheni!
Damnata ſævo LIPSIA prœlio
In hæc trahebas funera Teutonas. *
Audita vicatim LUBECAE &
VISMARIAE laniena matrum.
Majoris agri GLOGGAVIAE, forum
Minoris undant ſanguine civium. *
In fruſta BAMBERGAE ſecandis
Arma ſonant hebetata truncis.
Hyrcana qualis cum rabiem parens
Totos in armos exigit: * unguibus
Partitur hærentem juvencam, &
Multiplicat furioſa morteis.
Abjecte, ſqualens, irreparabilis
SüEVE; quo te denique differes
Pulſus vagari? * ſæpe mutas
Spretus herum, ſed ubique ſervis.
Pœnis recreſcens, ut Tityi jecur,
Geſtas catenæ vincula ferreæ. *
Udus quot Auſter torquet imbreis.
Tot dominos tremis & flagella.
Sic feſſus olim Verna triremibus,
Si fortè remum ducere ſubſtitit; *
Vix conquieverunt lacerti,
Jam ſcuticæ monuere terga.
Menſura luctûs, flebilis orbitas
In ora patrum non ſine livido

In-

Ingeſta riſu. * terret EMDAM
Virginitas tumefacta monſtris.
Ferocientum VVESTPHALA, VVESTPHALA,
Jam Totilarum non dubitabilis
Ex hoſte mater. * triſtis EGRAE
Se genitrix genuiſſe damnat.
Hæc cerno ſiccus! currite lacrymæ.
Manate plenis lumina fontibus. *
Senum, Sacerdotumque cani,
Per plateas jacuere ſparſi.

THRENODIA III.

QUod CALMARINUM, ruptaque BOTNIA
Immittat hoſteis; * quòd medium ſupra
STOCKHOLMA pontum nixa palis:
Dira licet, tolerare poſſim.
Cur Suecus ipſo naſcitur in ſinu? *
Non ex Codano littore ſinguli,
Qui me cruentant, prodierunt:
Ipſa tuli quoque parricidas.
Senſi nocenteis, quos ab ovilibus
Ad alta duxi culmina gloriæ; *
Pennaque, ſtivaque, & moleſta
Forfice, lanificumque piſis.
Quis educavit, quæ peperit ſibi
Tot Proditores? * EUTROPII dolis
Sævique RUFFINI, & reverſo
Immorior STILICONIS ævo.
Me Spes amici credula perfidi
Ventis egentem pavit inanibus. *
Me ponte ſubducto labantem,
Impulit in barathrum miniſter.
FRIDLANDUS, Orbis prodigium, meas
Conatus in me vertere lanceas; *
Totumque demens, ut perirem,
Cum Furiis Acheronta movit.*
Ex hoc, gementum ſi mala compares,
Squalore toto noſtra ſuperbiunt. *

Op-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Oppreſſa curis, pota fletu,
Et cineres epulata vivo.
Avara quid non diripuit manus? *
Detracta torvus prædo monilia,
Gemmaſque dotaleis avorum
Extulit, Attalicoſque cultus.
In templa verſus luxuriæ furor
Sceleſtus, exſecrabilis, impudens; *
Sedeis adorandas, & aurum
Sacrilego temeravit ungui.
Vel in rapinas irrevocabileis
Cupido vertit trans maris æquora: *
Vel hauſit inſpectante cœlo
Flamma ſacram populata gazam.
Intrà Penateis arma minantibus,
GERMANE, præbes pabula Vandalis. *
Cerdo paludatus triumphat,
Inque tuo bene dormit oſtro.
Conchyliatis lixa tapetibus
Præſepe ſternit: * raptaque pocula
Circumdat in morem nolarum,
Cornipedum quatienda collo.
Inceſtus ut ſi grex avium volat,
Ferale tectis omen & incolis; *
Fugantur harpyjis columbæ:
Tota domus ſpolianda proſtat.
Quid damna defles? vilius ipſemet
Te perdidiſti. * nil tenuis ſpei
Scintillat, & fortuna crebris
Arîetibus labefacta ceſſit.
Crudelis, ah! quò non rapuit fames! *
Glans querna, furfur, mus, aſini caput
Stetit talento. ſuntne tanti
Fila gravis diuturna vitæ?
Quibus reſervor ſuppliciis nocens?
An longiori ludibrio necis? *
Non vivo, ſed ſuſtento mortem:
Pœnaque diminuenda, creſcit.

Deſideratas ſolvite NORICAE
Florum coronas, velaque candida
Mutate: * non iſti, Puellæ,
Conveniunt mala veſtra formæ.
Eunt ſolutis crinibus, ac ſolum
Araſque verrunt. * adſpice ſupplices:
Ut terga demittunt & ora;
Ora manu gremiumque tunſæ!
Non rara ſponſi flet comes exſulis.. *
Sic, cum recedit pulſus ab æmulo;
Sequuntur armenti maritum
Hirta per & lapidoſa vaccæ.
Jam non labores alterius bibit,
Amans quietis ruſticus ALSATA. *
Inſuetus æſtivi caloris,
Ipſe ſuos renovabit agros.
Ipſe, ipſe ſulcum ducere cogitur
Numquam futurus meſſor; * acerbiùs
Hoſtile ſpectaturus agmen
Sternere ſpem titubantis anni.
Quamquam fatentem tortor habes Ream.
Agnoſco pœnas Judicis impareis. *
Cur vota, Majorumque ritus
Perfidia ſtimulante rupi?
Ibam fluenteis ſparſa jubas, viis
Semper negatis, aſpera Numinis
Mordere frenos: * qualis hinnit
In mediis equa trima campis
Donec coactam ſiſtere, ferreis
Eheu! lupatis OSTROGOTHUS domat,
Malumne deteſter, quod urit;
Anne mali ſcelerata cauſſam?
Utrumque porto. ſordibus, en, comas
Perfuſa, miſtum ſanguine pulverem
Fumumque lambo. * quæ malorum
Iliadi dabit hora finem?
Recordor ævi, quo mea prætulit
Europa pulcris ſigna ſororibus: *

Unamque, præ cunctis, leone
Turrigero ſuper aſtra vexit.
Ne cuncta narrem: trans POMERANIAM,
Et culta pinguis rura BRABANTIAE; *
Ad imminenteis uſque GALLOS
Ductus erat per aperta limes.
Lavit ſolutæ cæſariem jubæ *
Intonſa noſtro fonte SICAMBRIA.
Intraque porrectas & extra
Imperium moderabar Alpes.
Ignoſce probro CAROLE, CAROLE,
Sortite MAGNI nomen: * ad incitas
Redacta, quantillum decoris,
Ex veteri retinet Poteſtas!
Inſultat hoſtis diſcolor, & biceps,
Et tortuoſus. * Diis, reor, invidis
Crevique, & iratis, ad Orbis
Excidium dominata veni.
Sacroſne cinctus atque AQUILAM fero,
Ut Sueca dicar! * nata TUISCONE
Portabo numellas, & inter
Botniacos habitabo nautas!

THRENODIA IV.

AH! quæ voluptas parcior, & minùs
Seſe invidendam, quam gemitus facit? *
Vincam ferendo flenda; mœſtæ
Dum liceat ſua flere fata.
Finis malorum qui foret alteri,
A me inchoatur. * perculit unicam
Vindicta, non æqualis uni.
Sola luo, meruere multæ.
Concentus olim nobilis IMPERI,
Multùm priori diſſonat. * ordinem
Jam ſæpe turbavit Latinum
Barbaries glacialis Urſæ.
Plerumque noſtram Mars Aquilonibus
Turbavit auram. * frigora tertiùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Expavit Arctoa, & ſub armis
Roma tuas, ALARICE, pelleis.
Heu! robur omne, & pectoris æs triplex,
Languente ſenſim vanuit impetu; *
Subſedit interciſa Virtus
Maſcula, poplitibus ſolutis.
Ut quercus ingens gloria montium
Collapſa vento; * nec foliis viret,
Nec ſpargit umbram: ſed cavatis
Putrè jacet carioſa membris.
Quis, ô furentis triſtitiæ ſatur,
Invergat ægræ Pæonios tibi
Regina ſuccos? * quando vivum,
Atque videns es amara. funus.
Quis te juvabit, quisve medebitur,
In mille pœnas damnaque fertili? *
Impune nemo peccat olim.
Fata ream tacite ſequuntur.
Quocumque vertis lumina, plecteris.
Exhauſta crebris oppida cladibus; *
Vincti, trucidatique cives,
Pars tumidi quota ſunt doloris!
Qui luce caſtàs exſequialibus
Debebat Umbras plangere næniis; *
Vel ante procumbit, vel aram
Ipſe ſuam ſuper immolatur.
Audis? tuorum Tiſiphone Ducum
Percùrrit aulam * plectra tubis, lyras
Immiſcet armorum fragori,
Sueca Venus comitata Martem.
In *elegantis* ſede *Palatii*
Plaudit choreas, ac ſpoliis cubat
ADOLPHUS exſultans opimis: *
Dum *placidum* ſimulat *tyrannum*.
Armenta qualis Marmaricus leo
Depaſtus, alto torpet in otio: *
Caudamque ſubjectans quieſcit,
Mox vacuis ferit arva malis.

Quantum ſagacis nequitiæ coquit
Rex, fronte ſollers fingere punicâ
Clementis aſtum! * non Libyſſâ
Aſperiùs furit icta ſerpens.
Pulſi Penates interea domo.
Effertur aurum: gemma refigitur. *
Fumante buſto, ſtat columnæ
Torris, ubi ſteterat lacunar.
Ferro reciſus flos juvenum jacet. *
Ut ſiquis horti lilia, ſeu roſas
Confringat: inclinata cervix
Ungue cadit, pedibus terenda.
Audita vox non una puerperæ:
Cur cæca nupſi? * cur malè ſupplici
Lucina riſiſti? fuiſſem
Virgo, mihi miſeranda ſoli.
Abducta vinclis Upſaliam procul,
Extrema ſtarem cauda pediſſequæ: *
Focos adornarem diurnos,
Vile genus famulantis Umbræ.
Pejora ploro. deficientibus
Lactens mamillis, pallidus arida
Suſpirat immorſus labella: *
Inque ſinu moritur Parentis.
Urente cœlo, qualis amaracus
Tabeſcit olim ſiccus in area: *
Tandemque ſubmiſſo fragrantem
Ore animam periturus halat.
Jactata Fatis, ô ALEMANNIA,
Quid hoc in æſtu reſpicis auxilî? *
Permiſſa Fortunæ, malorum
Muto vices, nihil uſque vito.
Immenſa vaſto qualis in æquore,
Alliſa navis rupibus, ingemit: *
Ferturque diſcordis per undas
Ludibriis agitata venti.
Quò ſpes caducas, & laceræ ratis
Fragmenta vertam? * non procerum favor

Adſpirat.

Adſpirat. atroces amici
Diſſimulant: inimicus odit.
Immenſus, unum quod placeat mei,
Eſt luctus, Hunno. * De miſera canit
Pæana, & expreſſas feroci
Contumulat lacrymas cachinno.
Queſtum gementis turbidus exigit.
Velut tributum. * noſtraque, non ſecus
Ac Publicano, mœſta ſudant
Lumina, ſollicitique fletus.
Proh ſæva avari gaudia pectoris,
Crudele lucrum! * ſic miſeræ juvat
Squalore, tormentiſque paſci!
Uſque adeo furor iſte dulcis!
O qui potenti ſceptra tenes manu,
Tam lenta vindex fulmina dejicis? *
An ſemper urgendos acutâ
Nos feriet tuus arcus irâ?
Inſana mortem deprecor, & Getas
Accuſo! * noſtrum eſt omne nefas. pudet
Referre partem. ſolus Atreûs
Norit, & attonitus Thyeſtes.
Audite Matres. facta nocentior,
Pœnas luendo jam merui novas. *
Cruenta, mactavique prolem
His manibus, verubuſque fixi.
Abominandis defuit hoc malis:
Ut pejor eſſem, dum tolero mala! *
Natura pullo conde velo.
Conde ſacros violata vultus.
Credetis? eheu! quæ genui, fames
In me regeſſit viſcera, ferculum
Soli pudendum. * plena ventrem
Inferiis Libitina vivo.
Adeſte Sueci, Lappia, Totilæ:
Quocunque dici nomine Vandali
Gaudetis; * haſtas, & tonanteis
In caput hoc properate nimbos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

N. B. *Cantaturi has Odas, cuilibet Strophæ præponant uſitatam dolentium interjectionem,* EHEU!

ODE.

Oratio Auctoris.

QUem, DEUS, noſtro ſtatuis labori
Æquior finem? tulimus Cometam
Jam quater ſenos, & onuſta ferro
Bella, per annos.
Inter hæc nullo miſerante flemus;
Tot malis preſſi, foliis quot Auſter
Nudat Auctumnum, refuguſque torquet
Spicula Parthus.
Aſtra corrupto rubuere vultu:
Putris annonam vitiavit aër.
Et venenato nigra traxit unco
Funera peſtis.
Hoſtis ad votum, trepidi dolemus.
Noſtra Victori mala fœnerantur.
Ille Germanis ſolet ad triumphum
Mortibus uti.
Monſtra letali genuere partu.
Terruit cunas capricornus infans.
Feta bos agnum, mulier juvencum
Edidit alvo.
O SATOR rerum; quid enim meremur
Et fugam terræ! tremefacta movit.
Cive fugerunt proprii relicto
Oppida muri.
Fluminum proni niviumque lapſus,
Strage diviſa ſecuere vicos.
Montium totas ſubitò ruina
Obruit urbeis.
Merſa cum fundo fluitare tecta,
Pyrrha confuſi nova vidit Iſtri.
Teſtis eſt ſupra ſonuiſſe pontem
Iſara remos.

Poſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Poſt vagos amneis, reliquum favilla
Hauſit, & cœli lapidoſus imber.
Jurat in ſacrum caput, hinc & illinc,
Ignis & unda.
Prima MENS ævi, roſeæque clara
Lucis inventrix, & amica flecti:
Si ſatis culpam luimus rebelles,
Annue pacem.
Balthicum tandem mare detumeſcat.
Fas ſit exhauſtas revocare vireis.
Redde diſcuſſa nitidum Poli ca-
ligine Mundum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

SILVARUM LIBER V.

complectitur

Polyhymniæ Miſcellanea.

AMPLISSIMO VIRO

BRUNONI VIPSALIO.

AQUAM *mari affundere videar, quod tibi Librum dedicem, clariſſime Vipſali; qui plures ipſe paratos habes, ſummis viris dedicandos. divinos fontes nemo altius intravit. nullus arcana rerum nitidius profert. ſerico filo committis epiſtolas: ſonantes panegyricos cum fulgure rotas. orationes velut à torno procedunt eburneæ. Nihil tamen te magis illuſtraverit, quam* ALEMANNIS, *Poëma, quo Germanica bella à primis tumultibus Bohemiæ, in* XII *Libros digeſſiſti, Thebain & Æneida imitatus. Per ſpeciem grandis ac continuæ fabulæ, explicas veriſſimam præſentis Seculi hiſtoriam: quam tectam convenientibus involucris, admota clavis non ſine voluptatis irritatione reſerat. Quia verò noſtratium nominum fragore, delicatæ aures vapulant, aptiſſimè ſuppoſititiis Lectorem fallis. imaginaria vocabula ſuſtinent perſonas militum, ducum; caſtra urbeſque ſignant. Quintum Li-*

brum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

brum quum mihi legendum porrigeres, credideram me vetera bella faſtoſque Romanos, & mythologiam Græciæ evolvere. genio Maronis & Homeri adornantur idonea figmenta; ſeminaque virtutum ac vitiorum ſparguntur, ſuis quæque locis ſurrectura in meſſem.

Hæc quamquam ita ſunt, Vates doctiſſime; non dubitanti tamen cothurnatum opus molienti, aliquid de nugis noſtris communicare, Libellum Miſcellaneorum; pleraque, vel de ipſa Poëſi & Lyra, vel ad Poëtas directa complexum; hac de cauſſa certè, etiam animoſius fortaſſe quam par eſt, tibi deſtinata: ut, quando videris aliorum tenuitatem ab oſtio bonæ Famæ non repelli, ſublimiores ingenii tui partus fidentius emittas. Audio mirabundus, te neſcio qualium Criticorum cenſuris abſterreri, quò minùs matures. Vide, Vipſali, quam non formidandum tibi ſit hoc hominum genus. aut enim eruditi obſtrepent; & ad paria provocabis: aut inepti; & contemtu rectiùs vindicaveris. Multi ex his barbariem in faſtum vertunt, & politiorem literaturam aſpernati, de inſcitia gloriantur. neſcire noſtra ſe jactant, ut tantò inſtructiores cæteris artibus credamus: cùm ſæpe-numero ad nullius mediocritatem aſſurgant. Horum tu, id ætatis vir, movebere morſiunculis! niſi fortè, quia et culices moleſtiam faceſſunt, idcirco exſecraris. Ego autem Momum quemvis adeo non deteſtor, ut inſuper amandum cenſeam. quod reipſa oſtendi in Lib. Epod. Oda 11. Momus, mihi crede, u-

tile

tile animal eſt; inventum, ut triſtes Poëtas exhilaret, otioſos excitet, languentes acuat. finge, nullum in rerum natura Calumniatorem eſſe; neſcio, an tanta cum alacritate ſcriberetur. Hirtius Meſanſa noſter, cujus mentionem Od. XI fecimus, feſtive dicere ſolebat: Dominos, ut corpus exerceant, pilâ ludere; ſe, ut animum oblectet, Momo. Vrſos ſanguinem miſſuros, apum aculeis fieri obnoxios: Poëtarum venam, ut largiter fluat, ab hujuſmodi fucis incidi. Permitte ergo te obtrectantium ſtimulis. riſui pabulum, & ludibundæ indignationi bellaria præbent. Vt ut ſit: proditurus in lucem ſubibis aleam communem. meliora optanti, illud Satyrici inclamabitur, Delicias hominis! amabo te: uni licebit eſſe eximio? Quam inutilem prærogativam, ſi umquam arrogaſſem mihi; aut ignavo computreſcendum erat, aut pridem ab inceptis deſiſtendum. Nam ut taceam heteroclitum & anomalum Odarum genus, quale in hoc Libro poſitum, curioſa nugandi voluptas protruſit: ne prioribus quidem Lyricis ita confidimus; ut nullum dentem, non dico, metuamus, ſed ſperemus. cum enim icterici ringentium colores ſe intendunt, noſtrum pariter gaudium, quaſi per antiperiſtaſin intenditur. quemadmodum laurus tunc maxime viret, cum fulminatrix nubes circumtonat. His pluſculum ingenio meo indulſiſſe videbor. interrogari modeſte poſſint, quid ſignificare cupiant. Senecam non probaſſe Mecænatis ingenium diſcinctum; ſed neque laudaſſe alterius exſectum.

exſectum. Alii molle ac lepidum carmen; alii ſalſum & piperatum ſuſpectabunt, docendi: Auctorem, non uni gulæ hæc omnia paraſſe. mulſum vino, acetum oleo miſcere, jucundum putavimus; deſtinato tamen nihil acerbiùs proſecuti. Solatia, *eutrapeliam amantibus diviſa ſunt: quod ſciam, nullius ingratiis. certè à* Luceio Budio, *tametſi ſe deformem notari intelligebat, nil præter riſum extorſi.* Raguſius *verò Alſatæ, ſolatium imberbi impenſum, mento venerabundus preſſit. ſoletque ipſemet hanc egeſtatem ſuam decentibus jocis deplorare: ut neſcias, moleſtiuſne ferat optatiſſimæ rei moram, an dulciſſimo ſpei tormento cupidiùs mulceatur.* Nonnulli *ad concitatæ mentis impetus, & rapaciores* Odas *terrebuntur; quaſque ſublimes debuerant vocare, nomine immanitatis gravabunt. remittantur ad leviores, ludicras, amœnas. propterea ſiquidem hujus genii plures, velut cupedias, noſtro præ faſtidiis ægrotanti* Seculo *propinavimus. jugis montium non aſſueti, decurrent ſecuriùs in valle; jactationem maris metuentes, in portu navigent.* De Enthuſiaſmis *meis ſentiant alii, quod volunt. de ſuis* Nicodemus Malcius *libere pronunciavit: patienti magis quam agenti effluere. ut in excitante horologio, tam diu durat ſonitus, quàm feſtinata rotarum atque ponderum præcipitatio: ita cum agitante ſpiritu, animi ſacram tempeſtatem deferri. In* Turciam *uſque &* Ægyptum *profectionem nemo mirabitur, qui in* Claudiano *legerit:*

Quan-

Quantum non jaculum Parthi, non impetus Auſtri,
Non leve ſollicitæ Mentis diſcurrit acumen.

Imitamur Romanorum Circenſia. vix Mappa ſignum dedit, & celerrimo curſu tranſmittimus obſtantia. Ipſa adeo Pyramis ſuperata eſt. nimirum in ſpeculationes Apollineas defixo, haut difficiliores ſunt adſcenſus iſti, quam in ſomno ambulantibus diſcurſus per tecta. niſi quod alter caſurus ſit, ſimul negotioſam quietem clamore ruperis: noſtrûm aliquis ſomnians vigilet, & diſcurrens ſedeat. Criminaturis vagum ac deſultorium ſcribendi genus, multa ſimul expedio: Inter voluptates aurium venales, & nunc Poëſin eſſe, conduci quandoque Poëtas, inſtar artificum: Epithalamia, Epicedia, Soteria, Genethliaca, &c. pro temporum rerumque mixtura; imo myrrham, balſamum, vel reſinam ex Parnaſſo poſci, prout quiſque naſum habet. Quid ſi etiam vanitatis inſimuler, propter incognitæ nomenclaturæ ambages? non omnes agnoſci perſonas arguent. exiſtimo tamen multas: quarum ſcilicet nomina, nen obſtitere legibus carminis, & nitori. barbararum vocum ſtridorem quod fregerim; tuum, Vipſali, permovit exemplum. invitabat etiam major Odarum gratia, ſi nomina anagrammate, vel metatheſi tranſpoſita, aliove metaplaſmo conveſtita, non ſine concinnitate reponerem. Saperdæ nodum in ſcirpo ſæpe quærunt; & ſcirpum ſine nodo reperire deſperant! Quorſum hæc prolixius? ut verboſæ epiſtolæ, Treviris ad me miſſæ, ſaltem aliquid reſponderem:

ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

ut noſtro confirmatior hortatu, ſimul in patriam redieris, ALEMANNIDEM *tuam diutius non celes, vanâ timiditate excuſsâ, & lividulorum judiciis inſuper habitis. denique, ut me conſtanter amare pergas. Vale.*

I.

Mirando Apollinis beneficio, ex Poëta ſe Pictorem factum eſſe. ANNO MDCXLI.

CUM bona non pridem Belgam Fortuna MONACUM
Arte ſua ſubnixa tuliſſet;
Conveni: paribus lepidam pictura Poëſin
Quod ſtudiis imitabilis æquet.
Alter Zeuxis erat, volucres qui fallere botris;
Parrhaſius, qui Zeuxida poſſet.
Sic expreſſa virûm transfert in corpora vitam:
E tabulis exſtare videntur.
Velle loqui credas. ſpirant ſimulacra, tenentque
Attonitos, veſcuntur & aura.
Talia cernenti, pudor eſt & mœror obortus,
Tecta ſimul muſea reviſi.
Hæc mecum: plectro me nondum poſſe, quod iſte
Peniculo, quod ſimplice conchâ;
Arripuique chelyn, Phœbique aſtratus ad aram,
Multa Deum, nec parva rogavi.
Heic ego dum chordas, inter ſuſpiria, plango
Illacrymans, ſimiliſque furenti:
Tres ex adverſo digiti (mirabile) muro
Apparent, mucroque ſagittæ
Flavus, & in juſtum digitis productus acumen,
Quæ vellem, ſignare paratis.

Qualis

Qualis Chaldæo quondam eſt in parjete regi
Viſa manus *tria* ſcribere *Verba*.
Ac quoties luſi, percuſſis dextera nervis
Se toties umbratica movit.
Clara per apricam ceu lux immiſſa feneſtram,
Quæ varia vertigine vibrat:
Utque Polum verſus trepidat magnetica, ſi quam
Tinxit acus ferrugine, gemma.
Obſtupui, tremuere artus: formido ligabat
Marmoreum ſine ſanguine vultum.
Reſtitit extemplò, citharaque refulſit & arcu
Et jaculis inſignis APOLLO:
Parce metu, noſtris VATES dilecte Camenis,
Optabas miſcere colores;
Annuimus. *pinges*, non *finges* ampliùs, inquit.
CARMEN enim mox fiet *Imago*.
Tu, quæcumque voles oculis ſubjecta teneri,
Nec tantùm tranſire per aureis,
Concipe mente priùs; tum fila ſonantia tenta:
Ad ſtrepitum Teſtudinis ictæ
Omnia monſtrandis radians manus exprimet umbris,
Qualè vides cum voce moveri.
Quod tamen in ſpecimen cupies depingere primùm,
Projecta ſit vilius algâ.
Ne fors inſueto te tanti in limine cœpti
Sollicitum primordia reddant.
Dixit, & afflatum medio ſermone reliquit,
Ob munus pæana canentem.

II.

HARMOGE POETICA

Auctor, conditione Phœbi accepta, ut primum Artis communicatæ Specimen exhibiturus, viliſſimæ rei impendat; proponit ſibi Adulatorem depingendum.

ADULATORIS

rudis adumbratio, ſive Facies corporis.

COntinuò totam rumor manavit in Urbem:
ALSATAM ſolis fidibus, præſidioque fretum
Cynthii binominis,
Poſſe nemus viridemque campum,
Fluminaque, & monteis, vivoſque effingere vultus
Abſque colore.
Inventumque novi mirum genus eſſe *penicilli*:
Quod nihil à *plectro*, teſtudinis excitante ſomnum.
Diſcrepet. crevit ſtimulante Famâ
Curioſa mentium
Inquies, ac me videndi
Dira cupido.
Venerunt Proceres, Domini venere togati,
Ut NEMESIS Dea quemque coëgit.
Et quia ſperabant divino munere bellam
Effigiem, laudeiſque canendas:
Certatim ſtrictam faciem ambivere ſedentes
Artifici præbere Poëtæ.
Non opus eſt, dixi; niſi quem DEUS ipſe monebit
Intus agens, nec pingere poſſum,
Si cupiam: neque ſi poſſim, mihi pingere fas eſt.
Quiſque ſuo conſidite ſcamno.
Conſedere omnes: medium mihi pegma relictum.
In quo cùm graciles percuſſi pectine nervos:
Ecce tibi, manus illa, manus Phœbeïa, rurſum

Con-

Conſpicua ſeſe motat, & tremulo ferit
Indice viſum.
Aſt alii horrere, & fugere, & formidine labi.
Inclamo: quæ cauſſa pavoris!
Siſtite greſſum.
Nullæ heic terribiles larvæ. *manus* aurea PHOEBI
Dignatur manifeſta videri.
Nunc ô, nunc oculos, animoſque intendite veſtros.
Nam quoties criſpavero fila;
Mira reſultabunt picto ſpectacula muro.
Sed riſum teneatis amici.
Incipio. cœpique ſimul percurrere chordas;
Clara palàm vox addita chordis.
Pulcer Adulator. Vix hoc: cum candida puris
E radiis eſt linea ducta.
Non placuit. fex hæc hominum pingatur in albo!
Obſequioſa manus
Intempeſtivo nigrum ſuppone colorem.
Ergo iterum teſtudine motâ
Talia fabar.
Turpis Adulator, (mox altera linea cœpit
Deformi nigreſcere ſulco.)
Mobilis ingenii; neſcit, quem veſpere vultum
Deponat, quem manè reſumat.
Pendet ab alterius ſpeculo, ſeſeque refingit,
Conſtanter mutandus in horas,
Diſſimiliſque ſui.
Proteus eſt, & multa fit unus:
Sus, vulpus, lupus, agnus, hirundo.
Interea toties variata pependit imago,
Me pariter variante ſonores.
Et modò miſta lupi potuit, modò vulpis & agni
Figura credi; mox obeſá porci,
Mox avis circum volitantis oſſa.
At ſeſe nequam, licet omnis in omnia vertat
Ambiguæ mendacia formæ:
Plus ficti tamen oris habet, quàm frontis honeſtæ:
Exiguam quoque carbo notavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Fallaces oculi, ſtellis fallacibus ardent.
Atque adeo taleis ſpatium murale recepit.
Reſpiciunt. quàm lauta paropſis:
Quid dominus cœnet, quem fictis laudibus ornant.
Reſpiciunt obliqua ſtrabones.
Iam fiunt pæti, medio jam ſidere limi.
Semper in excubiis vigilat paraſitus, & augur
Nidoris, divinat ubique.
Sollicitus caponis aruſpex,
A quacumque culinâ
Omen & exta capit.
Hîc naſum naſutus habet, flatuque ſupino
Innumeros diſtinguit odores.
Adſpicimus naſum, media quem parte levatus
Ferre recuſet Atlas.
Deridere ſolet, blando quos nomine palpat.
Et duplicat longas Dominis abſentibus aureis.
Midamque & aſinum mota formavit manus.
Exſerit & linguam, qualem canis Appula: torret
Æſtivos cum Sirius agros.
Mox adumbratam paries non habuit minorem.
Heu mihi! quàm variũ, quàm formidabile monſtrũ
Exhibet! hos oculos,
Has habet ille manus.
Hunc ventrem: Reges qui paſſim fallit in aula!
Quin etiam ſacros in Cœtus repit, ut obſit.
Fallor: an heic aliqui
Ore pares, & moribus iiſdem!
Unus & alter
Erubuit SPECTATOR, & hærens
Effigie proprios vultus agnovit in iſta,
Diſplicuitque ſibi.
Eripuiſſe ſuum Pictor memoratur Adoním,
Cum furerent incendia tectis:
At, ſi tota domus conflagret; non ego ſudem
Hanc flammis efferre tabellam.

AD U-

III.

ADULATORIS

vera effigies, ſive facies Animi,

MORES.

QUam nec Protogenes habuit, nec major Apelles;
Eſt ſolis conceſſa POETIS
Gloria. non ſolum rugas faciemque figurant,
Aut oculos ſimulamine fallunt.
Itur & in fibras hominum, & penetralia vitæ,
Inque ipſos, præcordia, moreis.
Vultus ibi longe ſe verior explicat. huc ô
Phœbe pater, mihi porge colores.
Vilis ADULATOR, cujus venale cadaver
Incepi deſcribere verſu,
Intus & in cute noſcendus. tam nobile plectro
Prodigium pingatur ad unguem.
Huic ſcelera & fraudes, Animæ ſunt duplicis inſtar.
Admiſſus tibi vendere laudeis;
Crimina contortis æquanda rudentibus, inter
Telarum ſubtilia ponet.
Ille tuos facili purgabit pumice nævos,
Et molli ſermone fricabit.
Quidquid agas; verbis ſuadere ſonantibus auſit
Decerni tibi poſſe triumphum.
Quamquam octo viduas in cœna abſumſeris una,
Pupilli patrimonia radas:
Vulturis ingenium miluus miratur & ungueis,
Flammigero Jovis alite dignos.
Inconceſſa Venus placuit? decet, inquit, amorum
Flore frui, viridique juventa.
Quale nefas, matrem & natam corrumpere? quale,
Gallinam pullumque vorare.
Si brevis es, fit pumilio: ſi longior, optat
Aſtragalis incedere tecum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Riſeris, arridet: flebis, lacrymabitur Hydrops;
Et pluviis vel ſaxa cavabit.
Finge tamen ſiccum: lugebit pectore læto,
Et coget plorare ſalivam.
Magna tui cura eſt, etiam de vilibus illi:
Ne pelvis cum deſpuis, abſit;
Ne natet in phiala flavum gemmante venenum;
Impediat ne languor orexin.
Si malè digeſtus ſtetit intra viſcera pavo;
Dat medicas Podalyrius herbas.
Lurida nocturnam rumpunt tibi ſomnia pacem?
Mox in aquas ſe mittet & igneis.
Accuſat Parcas, fuſtemque & probra minatur,
Ni valeas, morietur & ipſe.
Intrabis thermas? I ſanè, non ſine cura
Alterius, votiſque marinis.
Neptuno, ut ſalvum te balnea fida remittant,
Cæruleæ vovet exta juvencæ.
Si credas; hoc eſt, quod ſpleni pabula præbet,
Immaneis motura cachinnos.
Stans ad poſticum *Tuus*, en, te ſibilat: & cum
Doliolum vacuaris, abibit.
Utque diu juxta nitidam vaga Caſſiopeam
Stella leveis vaneſcet in auras.
Hic eſt, ô Corydon, *hic eſt niger* (adſpice pictum)
Germanis, Indoque cavendus,
Ipſique Æthiopi. Sed longe tetrior idem,
Cùm liteis meditatur & iram.
Namque catenatas cujus ſemel imbuit aureis,
Vulgivagis rumoribus implet:
Quoſque domum referat, venatur in urbe ſuſurros,
Ad menſam placiturus herilem.
Adjicit auditis; & veris falſa remiſcet
Delator temerarius ova.
Intolerabilior tunc eſt, cum præmia ſperat;
Aut metuit rivalis honorem.
Elimat vafer ora dolis ſalibuſque facetis,
Ut noceat ſpecioſiùs hoſti.

Quid

Quid ſi etiam laudet, quem tantò fortiùs urit:
Excuſet, quem ſternere geſtit!
Nimirum ad metam tangendaque pectora, linguæ
Miſſurus jaculabile virus,
Auratum totis incurvat viribus arcum;
Et dulci linit unguine cannam.
Nonnumquam in medio verba imperfecta relinquit
Cum gemitu, partemque reſorbet.
At tu velle putas alienæ parcere famæ.
Non id agit. latet anguis in ore.
Nam laniaturus totam crudeliùs, aſtu
Irritat ſuppreſſa requiri.
Accedit tremulo pudibundus gutture riſus,
Et qualem vix noſcere poſſis:
Unà aliquid dentis, quaſi connivente labello.
Interea genuinus agit rem.
Non audis? etiam timide ſingultit, & alto
Miſcetur ſimulatio queſtu.
Mox interciſum ſub gutture murmur abortit.
Fit ſonitus: de littore qualis
Oceani reſilit, Boreæ cum flamina cedunt,
Temperie ſubeunte profundum.
Plura locuturum, conceſſa remittere juſſit
Fila lyræ laſſatus APOLLO.
Cætera, quæ deſunt, inquit, feliciùs addet,
Cujus erit deformis IMAGO.

IV.

PARADOXUM.

Q. Horatium Flaccum imitari ſe quandoque non imitando.

ODE.

POſſim continuis, ſi libeat, chelyn
Evincire roſis, natus amabileis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Tactis pollice chordis
Verſus jungere: non libet.
Duro molle genus, lenibus aſperos
Mutanti numeros; ambiguæ vices,
Alternæque Camenæ
Longe gratiùs accidunt.
Dulce eſt cuique ſuum velle, mihi meum.
Huc FLACCUM quoque vis impulit ingenI,
Et natura: nec illum
Sic LUCILIUS abſtulit;
Ut ſe deſereret, totus ad alterum
Factus multiſoni carminis artifex:
Nec te, PINDARE, ſolum
Miratur, nihil Appulæ
Indulgens Citharæ. ſiccus & humidus
Quàm diverſa canit! quàm ſibi diſſidet
Jejuno ſatur! idem
Qui nunc Quintilio pios
Affundit gemitus, mox furit, Evoë:
Inter vina ruber, Candide Baſſareu,
Clamat, candide Liber:
Huc adverte, Deus, tigres.
Quondam ſaxa trahit, ſuavior Orpheo,
Vix quandoque feram. tam placito ſibi
Neglectu piger hiſcit,
Fumoſum prope cantharum.
Proteus Aonius, nunc juvenem ſenex,
Nunc mentitur avem miſtus oloribus:
Verum mox Epicuri
Porcum, de grege pinguium.
Ut nil diſſimulem, me pariter juvet
Sic peccare bene, & ſic temere loqui:
Quale ut lividus alter
Conetur, nequeat tamen.
Hinc plectrum vario, RUSCA, volubile;
Ex molli rigidus, poſtque liquentia
Puræ gaudia venæ
Totis entheus oſſibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Quamvis tota penes culpa furentium
Muſarum & rapidi numen Apollinis.
Quem poſſeſſus anhelo
Nequidquam excutio ſinu.
Eſt hoc numen atrox. illius, illius
OEſtro ſi quatior: non datur impari
Contra tendere ſacrum
Torti vorticis impetum.
Sed tu ſæve, precor, mitiùs irrue:
Mentem fatidicam parciùs attona.
Mortalis tua dudum
Frangor tollere pondera.
Perbacchatus enim difficiles vias,
Flagranti ſimul ore ebrius abſtiti:
Noſtræ redditus auræ,
Toto corpore langueo.

V.

ENTHUSIASMUS.

Quem, præſentibus ſociis, Auctor paſſus eſt in Antiquario sereniſs. Electoris MAXIMILIANI: *quum Romanas ibi Statuas contemplaretur*, ANNO MDCXLI.

ODE.

VObis, SODALES, eripior. DEO
Intrante pectus, ſurrigit altiùs
A fronte languorem comarum, &
Ima ſacer quatit horror oſſa.
Ab uſque priſco quos mihi ROMULO
Viros APOLLO turbidus objicis!
Hic BRUTUS inventor ſecuris:
Sic oculos tulit ANCUS olim.

Sermone felix EGERIAE NUMA,
Plebem ſacratis ritibus imbuit.
CUNCTATOR, & velox CAMILLUS,
Invidiam domuere factis.
Procede paullum SCIPIO, Dardanæ
Fulcrum ruinæ, magnanimum genus;
Victorque victoris doloſi, &
Hannibal Hannibali timendus.
Poſtquam ergo *Luſcus* per ſolidas nives,
Ruptis aceto montibus, Africam
Infudit Europæ frementem, &
Nubigeras penetravit Alpes:
A te retractus, quem gravis annulis
Inauſpicatas hauſit equeſtribus
Prædator ad Cannas cruorem;
Evomuit lacrymoſa rurſus
Ad funeratæ mœnia Patriæ.
Deciſa ferro Cauſſa, quis imperet,
Tros anne Pœnus, conquievit
Non aliis iterata ſeclis.
Ah! parta bello, ni pueri duo
Nugis jocantes ambitioſiùs,
Ni diſſipaſſent. dum moleſtæ
Dux *aſini* GENER inſtat *umbra*:
Lanam viciſſim rettinet anxius
SOCER *caprinam:* ROMA libidines
Pavit nocentum, & in ſuaſmet
Incubuit lacerata vireis.
O ut ſerenum te ſubitò mihi,
AUGUSTE, ſiſtis, cæſariem ſacrâ
Evincte lauru? blanda nullum
Tam tenere diuturna fovit
FORTUNA pullum, tamque fidelibus
Protexit alis. utiliter tibi
Civile ſudavit peractâ
Strage nefas. alios cupido
Laborioſi criminis obruit:
Inſons opimâ tu precioſiùs

Culpâ

Culpâ fruebaris; lucratus
Non titulum, ſed opes tyranni.
Aſtutus Orbis prædo TIBERIUS,
Luſit ſagaci Trojugenas dolo: &
Æquum, poteſtatiſque frena,
Eripuit ſine lite. bifrons,
Biceps, bilinguis, nexa QUIRITIBUS
Pôſt vincla, ſenſim vertice *Pileum*
Excuſſit, ignaroſque fraudis
Ridiculo domuit capiſtro.
Succeſſor immetabilis omnium,
Hæres bonorum publicus: interim
Latebat altis Caprearum
In ſpeculis trabeata vulpes.
Quæ tunc alebas Itala militum
Portenta tellus? ecce CALIGULA
Nutritus in caſtris, & inter
Arma puer: ſolitus Vir enſeis
Mutare cultris, & galeam ſcypho.
Plerumque factis degenerantibus
Obſcurus ex claro Parente
Prodiit, immerituſque naſci.
Cadaveroſo cur LATIO diu
Umbriſque viſis triſtiùs immoror?
Exſangue Ditis nata Majâ
Coge pecus. properate Manes:
Tu ſtulte CLAUDI; cujus atrocitas
Illuſit amens Civibus, & ſibi:
Inceſte FLAVI, fœde GALBA,
Mollis OTHO, CARACALLA ſegnis.
Quid MAXIMINUS? Cæſar erat tuus
An, ROMA, lictor? naufraga COMMODI
Natavit in vino juventus,
Et patrium malè fregit aſſem.
Ventris Sacerdos HELIOGABALUS,
Turpique obeſus mole VITELLIUS,
Qua dote laudari merentur?
Siſte gradum, NERO parricida.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Fugit ſub Orcum territus hiſtrio,
Et ſulphurata pallidior face.
Quot verò MESSALLINA perdes
Nupta viros? ſatis unus uni
Non eſt maritus? LIVIA, JULIA;
Jucunda mater, lubrica filia:
Scit mons Palatinus, ſcit aula
Luxuriæ monumenta veſtræ.
Ut rara ſeſe femina continet,
Aſſueta nullis vivere legibus!
Simul venenatis perunctæ
Illecebris maduere mentes.
Impellor. Euan! te video, TITE
VESPASIANI! Qualis in impios
Quantuſque bellator ruebas
Iſacidas, equitare plena
Per arva viſus ſtrage cadaverum.
Sed & SEVERO, & clarior ULPIO
Vix ullus, incidenda magnis
Nomina congeminante ſaxis.
Laudem triumphos? marmoreo tholi
Horum locatas effigies DUCUM
Mirer ſub arcu? nempe ſtrictos
Eſt aliquid potuiſſe Leti
Tardare denteis, nec penitus rogo
Fugiſſe in auras: ſed memores ſui
Notas reliquiſſe, & verendis
Semideûm loculis reponi.
Eheu! quod AFER candide dixeras;
Laudantur omnes in ſtatuis, *ubi*
Non ſunt, & ardentes, *ubi ſunt*,
Perpetuo *cruciantur* igni.
O, invidendis arcear atriis.
Me talis alta ſede Lararii
Procul remotum, nulla ſpectet
Poſteritas, tumulerque totus.
Me gleba parvo condat in angulo,
Et abſque pompa. Qui latuit bene,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Bene & quievit. poſt ſepulcrum,
Non habeat tabulis & ære,
Macraque Vates dignus imagine,
Gypſoque & aris. ah miſeri, quibus
Hæc vota ſubſultant. abeſte
Cæſarei miſeranda, *Larvæ*,
Rubigo faſtûs. Splendida gloriæ
Me neſcientem gloria neſciat.
Sed jam quieta mente, Phœbi
Fatidicus furor ecce ceſſit.

VI.

AD FRANCISCUM GENSERICUM.

Dehortatur Adoleſcentem ab arduo, & viribus majore propoſito.

ODE.

GENSERICE tener: dic age, per Jovem,
Magni tu recines prœlia TILLII?
Loricam malè laudat
Veſtis plumea ferream.
Quid tentas Cypria natus in inſula,
Parvis à puero junctus Amoribus,
Anglis mollior hœdis,
Conchis lævior Indicis!
Victriceis AQUILAS non bene *turturis*
Narrabunt gemitus. Si quid habes Lyræ,
Preſſis obſtrue labris;
Donec cornua mugiunt.
Contentus phaleris, nil cupias equi
Calcantis pedites. eſt tibi mannulus
In præſepibus altis,
Frenatus prope januam.
Mutes peila pilâ. certior impetu
Illam per liquidum jeceris aëra.

Magno hoc ORBE relicto,
Parvum verte domi *trochum*
Mirator reflui turbinis. hic, tuæ
Fortunæ *Rota* ſit. ſarcinulæ levis
Atlas, pondus Olympi
Nutantis fuge ſiſtere.
Dicas militiam & jurgia paſſerum:
Ut roſtris inimica agmina corruant;
Flava non ſine bile,
Et rixante proterviâ.
AIACEM clipeatum, & juga montium
Portantem manibus, me quoque judice,
Cantabis minùs æquis,
Ac verè imparibus modis.

VII.

AD ANDREAM PLESSULUM,

STRENA IANUARIA ANNO M DC XLII.

ODE.

DEſideratum, PLESSULE, Barbitum
Tranſmitto munus. Fulgida Cynthii
Per tela, corytonque, & arcum, &
Cæſariem citharamque juro;
Hoc ipſe luſi nuper apud Duces.
Hoc maximorum flumina montium,
OEnumque, Rhenumque, & frementem
Detinui Venuſinus Iſtrum.
Tu, ſi imperito pollice verberes;
Chordæque, tamquam graculus obſtrepant,
Vel anſer, ingratusve pavus:
Immerito, cave, conqueraris
Feciſſe fucum. nam neque qui ſuum
Habere Turco miſit *acinacem*,
Miſiſſe SCANDERBEGUS unà
Enſe *manum* memoratur uſam.

VIII.

IOCUS SATURNALITIUS.

AD LUCEIUM BUDIUM STOICUM.

Solatium Deformis.

ODE.

INdignum eſt, animi te ſaturum bonis
Accuſare, BUDI, ſidera; floridum
Formoſi decus oris
Membrorumque negantia.
ÆSOPO ſimilis, niteris altiùs?
Summis ille ſacras Conſulibus tulit
Legeis. Eſt, ubi quoſdam
Deſpectus populi juvat.
Numquam tam celebrem Mæonii ſenis
Per tot caſtra Ducum reddiderat tuba
THERSITEN, niſi turpem,
Vitandumque puerperis.
HIPPONAX numero claruit ulcerum;
Obſtipus tremulo vertice SOCRATES:
Luſca & lippa PHILENIS
Pulcræ prænitet Iliæ.
Accedit maculis utilitas tuis.
Et terrere necem, & fulmina VEJOVIS
Retro vertere poſſis,
Vultu non humili minax.
Quod ſi grata jocis Diva FACETIA
Scenâ ſiparium ſtante reduxerit:
Mutos exſere nutus,
Jam plauſum in podio feres.
Lunam terribili ſanguine luridam,
Quàm ſpectare jubar malumus aureum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Delectant vaga nautas
Viſæ monſtra Britanniæ.
Tu multas Veneres à Venere expetis:
At nullam HIPPOLYTUS. prætulerat ſtupro
Et LUCRETIA gibbum,
Et VIRGINIA carcinum.
Raròforma ſibi conſtat, & hoſtibus
Illibata manet. Certior eſt fides
In non divite lecto:
Cum tædæ in cinerem jacent.
Obſervant animas mille pericula
Formoſas. olido tutus ab oſculo
Eſt dens unus, & ater.
Felicem ter & amplius!
Non, ut fortè velis, PRIAMIDEN potes
Ad damnoſa ſequi furta. Stat ILION
Per te, ſtat: nec Achivas
Tectis injicies faces.
Sed nec loripedes exſecuit mares
Umquam ſæva manus; nec plagiario
Phryx, præter Ganymedem,
Flevit raptus ab alite.
Fac, nullus noceat prædo, nec auferat
Vis armata roſas: tempore concidunt.
Ætas cana peruncto
Inducit capiti nives.
Flos eſt forma fugax. quem juvenem priùs
Vidit cæſarie Phoſphorus ignea;
Torto Veſper eumdem
Collo decrepitum videt.
Gaude: deteriùs proſtitui nequis.
Vitæ triſtis hiems cætera nubibus
Irruget: ſubeunti
In te nil ſenio licet.
Tritonas ſub aquis adſpice, & hiſpidos
In ſilvis Satyros. hi ſpeculum tibi
Oſtendunt. age, lætus
Divis annue fratribus.

Illuctaris adhuc, & dubius gemis,
Gallinaſque nigras & lepores edis:
Quorum Proteus eſu
Transformere venuſtiùs.
Quin ſupplex Aponi fontibus humidi,
Thermarum calices ſulphureos bibis.
Eheu! quanta cupido
LUCEIUM miſerum coquit!
Ceſſa: ne pereat gratia funditus.
Malis, ſi ſapias, eſſe, quod es. tuis
Obſtas laudibus ipſe,
Famoſoque peculio.
Olim prodigium clarius iveras,
Monſtratus digito prætereuntium.
Nec pulcerrimus es jam,
Nec turpiſſimus omnium.
Nam quamvis media depilis areâ
Denudes vetulum vulturibus caput;
Hircoſuſque piloſas
Nareis polypus occupet:
Et plenum ſitiens œnophorum, botros
Protrudat facies uvida gemmeos:
Et venter Baleari
In funda malè pendeat:
Raro crine tamen, qui ſuperat, rubes.
Nec, quem terga gerunt, collis, avunculi
Æquat pondere gibbum, &
Tantùm uno pede claudicas.

IX.

AD VALERIUM VALGIUM.

Purgat ſe.

ODE.

VALGI, ſæpe quidem mones,
Ut Vates tumulo jam propior, meæ

Figam nequitiæ modum; &
    Verbis injiciam frena dicacibus.
Sic me ſimplicitas amet:
    Audax immeritum plectit opinio.
Non utor niſi candido,
    Et nulli nocituro ingenuus ſale.
At tu, ſeu moveam manum;
    Porrectæ metuis roſtra ciconiæ:
Seu celſo gradiar pede;
    Excuſſum tragico ſubere pulverem:
Seu vertam faciem; dolum:
    Fucum, ſive loquar; ſive canam, tubas.
Ipſas ſi feriam fides
    Ducentis tigrides & nemus Orphei;
Latratum canis horreas.
    Vanis, molle genus, parce timoribus.
Non ſum, qui nebula notor,
    Acer Pieriis lædere cornibus
Et vitalia ſpiculo.
    Nobis, quid dubitas, ambroſiam quoque
Fari MUSA dedit: neque
    Cædendus veniat fuſtibus Alſata,
Si myrrham bene miſcuit.
    Cultris corpus iners imminuunt Phryges:
At non ingenium Viri.
    Nolis hoc ſtimulis atque leporibus
Exſectum muliebriter,
    Inter femineas ſerpere fabulas.
Argutùm liceat queri,
    Et ſervanda diu carmina figere.
Aures cotis egent: niſi
    Expurget digitus ſordibus obſitas,
Ægre concipiunt ſonum.
    Quod demum, VALERI, crimen Epiſtolæ
Ludentis jaculo? tamen
    Illo dulce rubet vulnus amantium.
Non roſtrum quoque ſpinulus.
    Non & paſſer habet? creditur utile,

Quod

Quod Natura dedit. boves
        Lactant candidiùs, quæ valida grave
Cornu fronte gerunt. api
        Quamquam purpureis floribus incubat,
Si dematur aculeus;
        Numquam mella leget paſtor Hymettia.

X.

AD GASPAREM MARODAM.

In Macilentorum Collegium recepto, NICODEMI MALCII *Poëtæ Laureati exemplum proponit imitandum.*

DIi mea vota boni tandem audivere, MARODA,
    Ventris tumentem ſarcinam
        Depoſiture places.
Hoc erat in votis, ut noſtrum adſcriptus in album,
    Subæmulari Cœlites
        Tenvior inciperes.
Crede mihi: donec totum beet arduus æther;
    Vitæ tamen ſic plurimum
        Jam melioris habes.
Purgat enim MACIES mortalia corpora limo:
    Et quà poteſt, attollitur,
        Semideoſque facit.
Quàm catus ac felix ſit noſter MALCIUS, audi,
    Pompæ forenſis gloria,
        Pegaſidumque decus.
Ante; meis quam ſe præceptis, qualia diſces,
    Olim regendum traderet:
        Et Calydonis apro
Pinguior, & tam craſſus erat, quam longus. in unum
    Diſtenta ſidebant globum
        Omnia membra viri.

Con-

Conſtipatus Atlas tardo molimine paſſum
Movebat; uſus denique
Vectibus ac trochleis.
Nunc verò volucreis penè extenuatus in auras,
Curſu citato fervidos
Occupat hinnuleos.
Ille vel Eleam poſſit præcerpere palmam:
Curruque primum pulverem
Tollere quadrijugo.
Meque adeo ſuperat, bellum cùm pinguior illi
Indiceret poëticum
Nuper EBERSBACHIUS:
MALCIUS hîc; cur (inquit) ebur, vel barbita poſco?
Non eſt macer, qui pangere
His ſine neſcit epos.
Tela, pharetra, manus, nervuſque, & robur, & arcus,
Nullius *Hiſtrix* indiga,
Omnia ſola ſibi eſt.
Si bene defeci: ſunt oſſa ſonantia nobis,
Et apta voceis edere,
Quas cava vallis amat.
Oſſibus, ut ſcopulis, alliſa reſultet imago.
Remitto Muſarum Pater
Plectra, chelynque tibi.
More ſagittiferæ pecudis, jaculabor inermis
Vocale Vates ſpiculum,
Orpheus abſque lyra.
Sic ait, & ſolis, ſed ſiccis flebile amantis
Idyllion THEOCRITI
Increpat articulis.
Mox ſeſe totum in numeros & carmina movit
Inambulare callidus,
Dante ſonum macie.
Riſerunt Muſæ: riſit Tritonia Pallas,
Lentuſque viſis credere
Cynthius erubuit.

AD

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

XI.

AD AMBROSIUM MADORENNAM.

MYSTERIUM DELPHICUM,

quod Hirtius Meſanſa explicavit Aproniano Hofkirchio, probaturus, Poëtas non mentiri.

ODE.

ATqui fateris corporibus ſuas
Ineſſe flammas; quas Venus excitat,
Et alma Naturæ propago.
Non minor eſt, MADORENNA, noſtræ
Ad vana Mentis ſomnia pronitas,
Et mentiendi dulce periculum.
Quod ore IESSIDES probavit
Fatidico, cecinitque latè.
A ſtirpe blandi ſerpit amor mali.
Innata nobis eſt temeraria
Libido fingendi; ſalacis
Ingenii vitioſa radix.
Credam Deorum concilio frui,
Quem nullus umquam ſtrinxerit HANNIBAL:
Fraus nulla titillet doloſâ
Effigie, ſtimuloque *Falſi*.
At fœda certe VANILOQUENTIA
Famam probroſo nomine polluit.
Hinc quippe nigra eſt: Creta paſſim
Et Ligurum genus omne mendax.
Quid ergo ſuades, dixerat HIRTIO
APRONIANUS, vecte ſilentii
Munire linguam? talis olim
Sub Samio Sene fluxit ætas,
Tenere mentum juſſa manu, ſeraſque
Et frena primis ponere dentibus:
Ne clavis ullius modeſta
Eloquii reſeraret ora.

Sed

Seu quos ad aram muta Serapidis
Duxit Sacerdos, & TACITURNITAS
SIGAEA caſtravit ſacratos
Harpocrati, vetitoſque fari.
Sed eſt moleſtum, vivere piſcium
Ritu, nec umquam vel minimùm loqui,
Timore lapsûs. Hîc, MESANSA
Riſit, & auxilio futurus:
Maritus, inquit, non thalamo quidem
Ex lege ductæ virginis abſtinet:
Nec virgo quævis tam ſeveræ
Sacra colit vigilata Veſtæ.
At ne protervis peccet amoribus,
Ornat decenti conjugio torum:
Quo nata proles nec parentem
Dedecorat, ſibi nec pudenda eſt.
Dilecte VATES, Tu quoque providè
Unam Deabus duxeris è novem:
Seu docta CLIO, ſeu decora
CALLIOPE placet eligenti.
Iſtæ maritum ſic Animum juvant:
Ut more quamvis Pierio canat
Non vera; veracis Magiſtri
Servet adhuc decus atque nomen.
Honeſta Carmen FABULA dicitur,
Partuſque caſti nobilis ingenI:
Numquam Nothi latura nomen.
Turpe probrum removet POëSIS.
Vidiſſe narrat VIRGILIUS Phryga
Didonis arceis: hanc profugi Ducis
Amore confectam furenti
Et gladio. niſi MUSA Vatem
Excuſet uxor: nonne erat improbè
Mentitus? at nunc, non ſine præmio
Finxiſſe laudatur: nec ullus
Criminis inſimulat MARONEM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

XII.

EPICEDIUM

In funere nobiliſſimi Iuvenis Friderici Roſanii, Poëtæ.

V. ID. MAII, M DC XLII.

In gratiam cl. V. Matthiæ Roſanii, Fr.

NUnc incompoſitis MUSAS decet ire capillis.
Sparge, THALIA, comas.
Exſtincti funus deploratura ROSANI,
Cur modum ſerves, numeroſque certos?
Spernit eos Lacheſis, properatque ſecare fila vitæ,
Legibus hæc ſoluta
Non curat annos, ordinemque rerum.
Ante diem, FRIDERICE, raptus,
Pieridum calcata jaces roſa. fugit ab ore
Purpureus color ille juventæ.
Decoxit te pallida febris.
Flos Matris, Patriſque oculus, lux gemmea Fratrum.
Plebeja tumularis in urna.
Diverſa habemus nomina, dum ſumus:
Ruſtici, nautæ, proceres, Poëtæ
Dicimur, aut nati cives debere tributum.
Poſtquam deſiimus vivere, protinus
Omnes vocamur *Vmbra*.
Nomen hoc multis retinemus unum
Ex titulis. herus anne ſervus,
Rex an ſatelles vixeris; intereſt
Nullius. *Vmbram* te vocat arbiter
SUMMANUS umbrarum ſupremus.
Cujus nunc ætas flagrat, ceu pinea tæda;
Mox domito cinis igne fiet.
Nimirum ad tumulum dies
Accedit omnis, pervenit ultima.
Momenta Vitæ pauca diffluentis

Hora

Hora prima corripit,
Extrema carpit. non properet licèt
Mors appropinquatura nobis:
Nos ad eam properamus ipſi.

XIII.

AD MATTHIAM ULMIUM.

Amico de uſu fabularum reſpondet.

ODE.

ET nos Atreidas ſcimus in Aulide
Dediſſe pœnas: ſæva licet freta
Placarit, & cervum Dianæ
Flebilis Iphigenia Matri.
Abeſto Livor! quam bene Patria,
Tam nota nobis Pieridum Domus:
Quæ ſub coronatis receptum,
Vere novo, docuere ſilvis
Hæſura menti nomina: Cynthium,
Pindumque, & Idam, raucaque Dindyma
Clamore, bacchatamque Naxum, &
Iſmara, Baſſaridumque Nyſam.
Vidi vaganteis æquore Cycladas,
Claramque partu, quæ modò deſiit
Errare, Delon: quæque Seſtum
Reſpicit è ſpeculis Abydus.
Juvabat ex hoc diſcere Plejades:
Quis Maurus Atlas eſſet, & igneum
Cur ferret axem. quæ leone
Per medias veheretur urbeis
Mater Deorum. quis Pelopis pater,
Durique Batti. cur Eriſichthona
Torqueret infando dolore
Longa fames. quid inuſitato
Peccaſſet igni Colchis, Iaſoni
Damnoſa conjux. anne gigantibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Impreſſa fumaret peremtis
Inarime, Siculumve buſtum.
Jam tum ſuperbi nomen Oileï,
Glaucique, Cadmique, atque Thoantidos;
Et major Alcmenæ, minorque
Hypſipyles mihi notus infans,
Fixuſque Achiva cuſpide Troilus:
Rhæſuſque, Pyrrhuſque, & Didimaonis,
Cygnique, flagrantiſque barba
Antilochi, & Telamone nati
Immane ſcutum. non Megareïus
Intactus heros: non Marathonide
Armatus in Creonta quercu,
Poſt Scythiæ fera bella Theſeus.
Sed et Meduſæ diſcere nomina
Cogebar ardens: Harmoniæ quoque
Fatale Vulcanique donum; &
Geryonem, Meropemque fuſcam,
Iphinque, & Herſen, & Pelopeïdas
Tumultuanteis, atque Simethida,
Prognenque, Syringiſque cannas,
Et Pholoën, Phrygioque cæſas
E monte naveis. quod Semele flagrat,
Quod capta tauro Paſiphae furit;
Quod duxit Aglauros rigorem
Marmoreo variata vultu;
Phœbus docebat. me quoque conſcio
Currus triformes OEnomai ſonant:
Et vaſtus Ætneas Cyclopum
Mallens increpuit cavernas.
Et mirer, ULMI, talia deſuper
Orator olim, ſi popularibus
Devolvat è roſtris canorus?
Ceu Clario ſpatiatus horto,
Et ipſe lauri ſerta momorderit;
Quamvis ab iſto Fonte remotior,
Fortaſſè decerpto profanum
Nec folio religet capillum:

Mul-

Multum elocutus, ſi referat Mydæ
Crudele votum; ſi lacrymis procus
Rigans coronas, ante duræ
Limen Anaxaretes pependit.
Sed quæ bicornis non novus incola
Cultorque clivi diſſimulat, velut
Jam trita, nec motura guſtum.
In vetitum juvat uſque niti.
Ignota ſemper dulcia. fabulâ
Qui neſcit uti, fortiùs utitur.
Jactant inexperti Camenas,
Seque ſua novitate paſcunt.
Sollemne Divûm ſic ubi JUPITER
Menſis remotis Concilium vocat;
Dii quique majores reſidunt
In thalamis, faciemque magnam
TONANTIS, oſque, & verba tonantia
Scrutantur; ac, cur miſerit Iridem,
Secum requirunt: fixa circùm
Sidera non vacat intueri,
Tot ante ſeclis, non ſine tædio
Perviſa. Solus Semideûm chorus
Cœli pavimentumque & aulam,
Et madidas radiis columnas,
Vaſtoſque lucis perpetuæ globos
Alter viciſſim nutibus alteri
Monſtrant; renidentique in auro
Aſtra ſtupent volitare Fauni,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

XIV.

AD CONSTANTIUM RIVERNAM

PAULLI RIVERNAE F.

Quum, præſentibus Parente & Auctore, de crudelitate Turcica orationem habuiſſet.

PARADOXUM IRONICUM,

Eutrapeliâ Othomannici Imperii, ſive Feriis Turcarum & moribus, nihil eſſe feſtivius atque urbanius.

ERras CONSTANTI: non ſunt Gens aſpera TURCAE;
Nec rudis Imperii,
Aut inficetè barbara.
Comis enim Gallos, Germanaque pectora vincit.
Nos probet illa magis,
Si conferamur, ruſticos.
Dura quoque, & ſævæ genium ſpirantia mentis,
Suavibus ODRYSII
Condire norunt moribus.
Nos crudi, celſa ſuſpendimus arbore fures:
Utimur & laqueo,
Tortæque nodo cannabis.
Hi tentos ſolvunt arcus, nervoque remiſſo,
Supplicis ante pedes
Fauceis jocando ſtrangulant:
Haud aliter, quàm ſi nervum Citharœdus eumdem
Increpet Ogygius,
Cantuque fallat otium.
Quandoque & byſſo nectunt candentia colla:
Suppliciique genus
Filis honorant ſericis.
Nos quanto clamore reos quoſcumque citamus
Judicis ad ſcopulum,
Prætoris ad ſubſellia!

Dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Dumque Forum ſubeunt, accuſanturque ſub haſta,
Sæpe timore rigent,
Propè ante mortem mortui.
Mitiùs ODRYSII. perituris carbaſus atra
Mittitur, & facilis
Incluſa Fati teſſera.
Eſt aliquid, triſtem miſeris auferre pudorem:
Et minùs indecori
Hærere tigno pendulum.
Bis denos SELYMUS fratres occidit. & iſtud
Mos geniale nefas
Excuſat imperantium.
Quid regni cauſſa non Cæſar JULIUS egit?
Miſcuit aſtra mari,
Valleiſque ſeptem montibus.
Nec fuit indignis SELYMUS lictoribus uſus.
Nam diadema ſui
Solvens tiarâ verticis;
Hoc pudibundus, ait, noſtros intertrahe BASSA;
Inſidiiſque latus,
Et ſceptra curis libera.
Antè tamen veniam pete, & oſcula fige necandis.
Adjice blanditias,
Mulcenſque ſtringe guttura.
Promiſſum manes abeunt Machomtis in hortum.
Funera marmoreis
Conduntur in ſacrariis.
Tale nihil patrant fraternis TEUTONES armis.
Ira ferit potiùs,
Cum ſe duello provocant.
Nos tetricas Legeis & plurima Jura tenemus:
Pluraque polluimus
Mendaciis ac fraudibus.
Jus breve TURCARUM, totumque in parîete pendet;
Spicula cum pharetra,
Acinacis cum balteo.
Hoc BAIAZETHES, ut erat ſermone facetus
Devido *cuique ſuum*,
Reſpondit Oratoribus.

Thra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Thracibus his, Latios immigraviſſe lepores,
Et Lacedæmonios
Cum melle credas Attico.
Noſtra coronato ſpumant convivia vino;
Deliciaſque merum
Summas in auro credimus.
Diſſentit SOLIMANNUS; & inter pocula, belli
Vult ſimulacra ſibi
Feſtina commiſcerier.
Stricta miniſtrantes in vos, ait, arma viciſſim
Vertite: da ſpecimen
Pubes amati Cæſaris.
Vix hæc: cum ridens exercitus ante tyrannum
Dimicat, & gladiis
Laſcivit in ſe mutuis.
Dumque animas acies cæſim bipatentibus efflat
Saucia vulneribus,
Per mille leti januas;
Spectantes ululant, hilari natat aula cachinno:
Lætitiæque fremunt
Ad uſque LUNAE fornicem.
Præterea TURCAS menſis non æqua remotis
Stertere Fama refert,
Et otio langueſcere.
Iſtud AMURATHES ſtricto mucrone refutat,
Poſt epulas ſolitus
Nemus ſubire cedrinum.
Heic digeſturus pavonem, exercuit artus;
Conveniente tamen
Ludo Monarchæ ſiderum.
Nos ſaturi jacimus talos: movet iſte fritillum
Principis; ille pilâ,
Chartiſque ludit improbis.
Non ita BISTONIUS: quoniam meditatur in hoſtem
Ducere, ver tepidas
Simul nives reſolverit,
Occupat utiliter tempus. juvat, inquit, arena,
Jam gladiator ero,
Ferri probabo laminam:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Ut quanto poſſim deſcendere cominus ictu
Pannonis in jugulum,
Sciam ferire doctior.
Ergo Chriſtiadum captiva ac nuda trahuntur
Agmina, materies
Futura Martis ludicri.
Vadit AMURATHES, plagaſque in corpore mutat,
Et nova continuâ
Vibice rumpit vulnera.
Ceu mollem fungum, aut teneris Nugator amarus
Viſcera cum foliis
Cultro ſecet cucurbitæ.
Huic nares ambaſque manus, his demetit aureis.
His caput: huic mutilo
Truncum relinquit poplite.
Succedunt proceres (id mandat Thracius Heros)
Miſſilibuſque petunt
Conisve metam indebitis.
Non dignantur enim tornatum ex robore querno,
Fraxineumve globum,
Humi jacentem tollere.
Ordine ponuntur Calvæ. contendere jactu
Certior, expoſitum
Munus caput victoriæ.
Si regale caput, de ter tribus eminus ictum,
Aut agitante manu
Septem loco dejecerit:
Lucratur totidem pueros, totidemque puellas,
HUNGARIAE ſpolium,
Aut flebilis POLONIAE.
Poſt aliquot luſus, coni ponentur et ipſi,
Qui modò ridicula
Ludi fuere præmia.
Heu! ſit in humanum tam dira libido cadaver!
Hoc, LIBITINA, tuis
Non eſt abuti mortibus!
Hiſpani pedites, Alemannica ſurgite tandem,
Surgite Francigenûm
Iungenda frenis pectora.

Per vos, per qui vos, oro, genuere parentes;
Per precioſa odia, &
Magno nimis conſtantia;
Perque tot annorum plus quam civilia bella;
Ite, jugum miſeris,
Faſtum ſuperbis demite.
Seria TURCARUM ſi non prohibere poteſtis;
At prohibete jocos
Saltem, & nocenteis ferias.

XV.

AD SIMONEM SEMPRONIUM GUNDARUM, EX FAMILIA STROZARUM.

ODE.

Cæcutienti ſolatium.

FElices tenebras dum cano frontium,
Non te, PHOEBE, recens auxilium rogo.
Si me cæcus Homerus
Illuſtrat, video ſatis.
At tu multa gemis, caraque, GUNDARE,
Malles lumina: queis orbus, hirundini
Claræ munera vitæ,
Et muſcis miſer invides.
Pulcræ ſunt, fateor, ſunt & amabiles,
Quæ flagrant gemina lampade pupulæ;
Vivi ſidera cœli,
Dulcis nucleus ignium.
Sed non iſta minùs, crede mihi, nocent.
Res eſt, res, OCULUS, plena periculi,
Ut cryſtallina lædi,
Sic inſueta domarier.
Lux ſemper dubiùm ludere pertinax,
Et mulcet jaculis, & renuit tegi:
Quàm cepiſſe doloſa,
Hamo tam facilis capi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Hinc mortes veniunt, hinc Aſiæ cinis.
Vultus Tyndaridis lubricus adſpici,
   Paſtoris malè cauti
      Exuſſit patrios Lares.
Sub *Luſcis* ſteterant PERGAMA tutius;
Rarò, quæ mala ſunt, tam mala cenſeas:
   Ut ſe peſſima totis
      Nullum contineant bonum.
Non jucunda vides: ſed nec atrocia.
Non formoſa vides: ſed neque turpia,
   Adſpectuque pudorem
      Excuſſura noviſſimum.
Quid noſtri memorem tædia Seculi;
Deteſtata piis prœlia matribus,
   Irritantia fures,
      Immetata libidini?
Multi ſe cuperent funditus OEDIPOS,
Te nullus violat Teutoniæ cruor.
   Non tot ſtupra tueri,
      Non incendia cogeris.
Auritos cruciant multa: tonitruum,
Montanuſque fragor; leſſus, & horridùm
   Stridens culmine bubo.
      Surdus præterit omnia.
Non titillat eum fabula Tereos:
Nec torquent etiam carmina Chærili;
   Nec, quæ nare caninâ
      Rixam litera promovet.
Solatur vitiatum utilitas vitI.
Hæc cæcum pariter Sors beat. unice
   Securum, nihil umquam
      Alto turbet in otio.
Nam quando metuit fulgura nubium,
Aut ad ſtricta pavet ſpicula militis?
   Nullis ille ruentum
      Viſis cladibus ingemit.
In pacis latebra ſecum habitat: frui
Se diſcit penitus, nec timet abditum

Fortunæ levis uncum.
Cæco CAECA favet DEA.
Turbatura procul monſtra, procul ſtriges
Et larvæ. ſequitur dulcis eum ſopor,
Et pulvinar ubique, &
Purus Veſper, & angulus.
Candelas, alius clamat, & urceos
Effer: tolle puer lumina: vitreas
Velis conde feneſtras:
Lunæ verbera ſentio.
Dormitur modicùm: nec ſine ſumtibus.
Conſtabit precio parva quies ſuo.
Et mox Sole reverſo
Faſtidita redit dies.
Auro, STROZA, negat ſomnus emi tuus,
Gratis ſponte venit. non opus interim
Ullas claudere valvas.
Dives nocte tua jaces.

XVI.

SYMPHONIA.

Auctor GUILIELMO ROMELIO, *ad Lyricam Poëſin adſpiranti, oſtendit modum temperandi diſcordem Citharam.*

EXperiar primùm TESTUDINIS *indolem canoræ,*
Et digitos cum voce movendo,
Pertentabo Lyram, num ſit Symphonia concors.
Ventoſa Famæ gaudia ne petas.
Quid magis incertum vento? nec navita fidit
Cæruleum pelagi marmor ſcalpentibus Euris.
Nubes lanificæ polo
Rareſcunt: fruticeta petemus
Proxima, Friſingam viridis quà ſemita ducit:
Simul reverſurus ſepultum
Sol radiis animabit Orbem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Femina nulla mala eſt. Virtutem pingimus ore
Femineo. Formoſa pudorem
Servat intactum, neque vendit ulli.
Nonne notas, GUILIELME, *fides hoſtiliter inter*
Se diſsidentis? muſica Veritas
Chordis aberrat non bene conſonis.
Ergo remotis ſeditionibus
Sic temperandum BARBITON,
Non procul à muro: quoniam canor inde repulſus
Diſsidium ferit arbitranteis
Certius aureis.
Principio vox ima, cui vox nititur alta,
Eſt certo fundanda tenore.
Quippe ſuum moduli
Hinc acuunt genium, conſpiranteſque reguntur.
Interim multi ſonitus peribunt:
Donec inæqualeis numquam ceſſante reducam
Pollice chordas.
Senſim non ſine jurgio
Placabit reſides quatiens ſententia nervos.
Spes eſt dulce pati. quies
Optima centonis: nam regum purpura noctem
Sæpe trahit vigilem.
Si quiſque ſciret gaudia pauperis,
Nullus ſollicito dives dormiret in auro.
Triſte publicum fori
Vitat expertus Sapiens: nec imæ
Dignatur ſubſellia plebis.
In ſuo felix animus receſſu.
Intima luſtrat.
Paullatim aptantur ſocialia carmina nervis.
Rapto terrigenæ, vivimus: hoc meum eſt,
Virtus quod mea Fatis
Armatâ eripiet manu.
Cætera vaneſcunt ludibria mobilis auræ.
Rex hic eligitur bene,
Prima cui teſtis Populi dedit ſuf-
fragia Virtus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Alcide mihi major eſt,
Cui vulgus domitum, bellua centiceps,
Strato procubuit pede.
Aurea linguâ
Verba volventis, valeant eamdem
Facta monetam.
Cur jactas abdomen opacum
Pingue pecus? ſimul interiſti:
Sub tumulo cinereis relicti
Quot libras leve funus habebis!
Parva mora eſt: & erunt ſeptem diſcrimina vocum.
Humana ſidunt omnia. fortium
Quot mors virorum ſubruit agmina?
Ceu Boreas populator Arcti
Sternit acanthos.
Heu! quanta ſub nocte jacet clariſſima quamvis
Noſtra dies! ſequere extrahenteis
E tenebris Superos; & ignem
Ætherium bibe pectore toto.
Non eſt Fabula dignior
Spectatore DEO, quàm patiens vir, &
Morbo cedere neſcius.
Citra animum cecidere ſævæ
Tela Fortunæ, miſeros negantem
Edere queſtus.
Audis hoc, Dea fallax?
Habere nummos, eripias licet:
Perfida ſaltem
Non rapies, habuiſſe quondam.
Tandem ſubmotis erroribus aſsilit Echo
Dulcior. nervos digitis ſubegi:
Reddo concordes. velit his crinitus lopas
Ludere. tu Citharam
Accipe ROMELI, *radioſque infringe ſonanteis.*
Sive juvat minimos fidibus depectere verſus:
Fortem non ego dixerim;
Quem belli ſpoliis gravem,
Imbelli ſuperat colu

Formoſum, mulier, malum.
Hic eſt Herculeus labor,
Non vinci, velut Hercules.

Sive juvat tragicum numeris implere theatrum:
Regali canimus cæde NEAPOLIM
Famoſam. Lacrymas funda SUËVIA.
Præceps immerito CAROLUS, heu nefas!
Exſtinxit jugulo ſanguineam ſitim.
Sceptro quis juvenis fidat & annulo?
Fatis iſte tuum prodidit improbis,
CONRADINE, caput.

Seu proprium FLACCO mens eſt ſubjungere carmen;
Idque vel inciſum, priſciſque æquale cothurnis:
Metiri primùm, ne peragas ſcelus.
Nil concupiſcens, poſſidet omnia.
Regnum eſt, carere poſſe regno.
Semper inops, inhians futuris.
Quæſita laus, in probra relabitur.
Ignotus Orbi, notior eſt ſibi.
Stetere non pauci jacendo:
Stando etiam jacuere multi.

Vel tantùm Lyrici Vatis concentibus aptum:
Neu differ Hunnos pellere patriâ.
Virtus, ligonum more rubentium,
Splendeſcit attritu, labore
Continui renovanda belli.
Jactura non eſt, morte perennius
Ævum paciſci. Qui Patriæ memor,
Corpus fatigatum reclinat
Vulneribus, jacet in triumpho.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

XVII.

AD SODALES NOVÆ CONGREGATIONIS MACILENTORUM.

De diſpari tyrannide Cl. Neronis & Iuliani apoſtatæ.

ATrox, ſed manifeſtus erat, faſſuſque cruento
Vultu NERO tyrannidem:
Tam nil diſſimulans, quàm publicus hoſtis eorum,
Quos igne & enſe ſuſtulit.
Diſpoſuit tribulos, in tædas corpora vertit:
Circi natabant ſanguine.
Hinc juvenum crebræ mortes, precioſaque Fata,
Clarumque nomen MARTYRIS.
Paſſim Chriſtiades Romam ad tormenta fluebant,
Ut virgines ad nuptias.
Vidit, & infrendens ſceleratus APOSTATA Cæſar;
Siſtamus, inquit, impetum.
Perdam equidẽ, & Gentem Galilæam à ſtirpe recidam,
Longe tamen ſagaciùs.
Nempe *mori* cupiunt, ut mox mactentur honore,
Aris & aſtris ſplendeant.
Vivant, opprobrium nobis ludusque futuri,
Vivant malis ſuperſtites.
PALMA, cavebo, mea viridis ne creſcat in Aula,
Tantò CUPRESSUS denſior.
Sed quam ſuffocent *ſpinæ*: quam plurima *taxus*
Nigrante ramo faſcinet.
Dixit: & arcanis cœpit diſtringere pœnis,
Crudelior prioribus.
Non ſtimulos, non tela, faces, ſcalamve minatus,
Torſit jocando triſtiùs.
Ludicra ſuffigi tabulis Edicta jubebat,
Quæ macerarent improbè.
Inter eos, *Fabri* quos *pauper Filius* unxit,
Nemo Magiſtratum gerat.

Turpe, Senatorum titulis fulgere Nepotes,
Vixiſſe Patrem inglorium.
Læſi, non habeant jus ad Prætoris aſylum;
Cum Chriſtianum ſit, PATI.
Inque foro nullus, niſi tus prius offerat, emtor
Supplex Jovi compareat.
Quid? quod adulator verbis funeſtus amicis
Se geſſerit nocentiùs.
Quos non flexiſſent fera, flamma, cataſta, ſecures;
Flexere verba mitia.
Hoc aſtu plureis *Vulpes barbata* peremit,
Quàm parricida *Claudius*.
Vos MACROS moneo. dabitur quandoque tyranni
Hujus doloſa ſimia.
Qui veſtram tentare gulam certamine nolit,
Sive altilis, ſeu bubulæ.
Nolit apro quemquam catus objectare Sabello,
Aut arieti Britannico
Tantùm ne videat fixum de CARNE tropæum
Veſtris *ſubactâ* dentibus.
Cogitet interea lenta conſumere tabe,
Faméque rumpat viſcera.
Dii te, Dii perdant? quicumque ſimillimus eſſe
Vis JULIANO, peſſime.
Malumus, hoc votum eſt, imitantem facta NERONIS,
Et ſævientem *ad beſtias*:
Inſtantemque palàm, & convivia longa minantem,
Carptore juſſo ſcindere.
Cui Deus eſt VENTER; contra hunc pugnamus, & antè
Quàm procidamus ſupplices,
Fiamuſque popæ, turpique litemus acerrâ;
Occumbimus fortiſſimè.
Quamlibet inſultans, multoque tremendus omaſo
Letale ſumen ingerat:
Non gemimus, dum ſtridet adeps, lucanica fumant,
Et thyrſus ora ſauciat.
Qui facie ſignum dat, ſe colludere Pingui;
Jam Noſter eſſe deſinit.

FRAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

XVIII.

FRANCISCUS PETRARCHA PARANYMPHUS.

AD CAROLINUM ASTIUM SPONSUM.

ERgo jam certum eſt? & Hymen ſonandus
Serta diſperget? quianam repente
Vela vertiſti, dubiis adiri
Creditus Auſtris!
Ducis UXOREM, tua forſan, ASTI,
Teque ducturam. licet alligari
Gaudeas byſſo: tamen alligaris
Remige pejùs.
Quidquid adſtringat, placet UXOR, inquis.
Ede, quas dotes habet: uſitata
Italus VATES Cithara tibi re-
ſponſa remittet.
Dives eſt. Ni vel ſuperes, vel æques:
Verus, heu! conjux eris. utque taurus
Sub jugum trito redigere collo,
Ter pede preſſus.
Dives. ô quanto periture ſumtu,
In tuam pleno ruis amne Scyllam!
Servus es; ſervis, CAROLINE, ſervis
Vertice raſo.
Dives eſt. At tu tenuis ſupellex.
Ergo ſubjectum phaleris domabit.
Quot gerit torques, tot habet ligandi
Frena mariti.
Divitem certe ſcio. væ ſcienti!
Quot domi gignet brevis arca liteis?
Servat à ventis minùs inquietam
Æolus arcem.
Conjugis duplex & amœnus hortus.
Plurimæ creſcent in utroque ſpinæ.

Una quæ ſemper fodicabit, hæret
Intima cordi.
Eſt mihi conjux opulenta. Nondum
Elegans: nondum Tanaquil. ſagittâ
Palpitas unâ? quod amore totum
Conficit, hoc eſt!
Nobili natam Patre duco. Nupſi
Nobili, dicas. feret illa magnum
Nomen ANDRODI, reget illa clavum;
Illa Viri VIR.
Nobilem duxi. Malè ſi juvenci
Stant inæquales ad aratra vincti:
Pejùs infelix Hecubæ Cupido
Junxerit Irum.
Quam propinarunt Charites, avitæ
Stirpis eſt. Si tu figuli propago,
Illa Prætoris: figulus periſti.
Collige vaſa.
Patrios multis celebrat triumphos.
In triumphatis eris ipſe. craſſam
Porge cervicem, Stygio Jovi ma-
ctandus humi bos.
Pulcra cenſetur. Quibus? expolitæ
Diſcis à vulgo precium puellæ?
SPONSE, dic, quæ vult oculis videri
Turpis & effrons?
Pulcra. Dum tota ferit ora Cypro:
Dum genas pinſit ſpeculumque mulcet,
More lambentis madidum ſciuri
Vellus & ungueis.
Virgo formoſa eſt. Subita doloſus
Defluat fucus ſenii liturâ:
Vultus informi cadet ore, paſsâ
Crudior uvâ.
Liliis certa. Sua cuique vacca,
Seu diem pingui ferat alba tergo;
Sive pellitam ferat atra noctem;
Lactea candet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Vix parem Noſtræ meminere cives:
Triſte ſecretum mihi prodis. Ohe!
Forma vicino; tibi dos avaro.
Nupſit, & alget.

Fama, tam caſtam mihi, quàm venuſtam
Laudat. O mentem ſapientis albam!
Major OCTAVO numerande credis
Omnia Famæ!

Caſta. Credamus. tamen & timores
Talis & curas parit. impudicam
Nempe deſperas; metuis pudicæ,
Captus utrimque.

Docta. Sed cur non etiam ſuperba?
Rara, quæ Muſas olet & Camenam
Fregit, errorem mulier fatetur.
Corvus hic albet.

Accinit chordis: recitat Maronem,
Explicat verſus. Adeoque Dido
Nota, ſpeluncæ Tyriæque furtum, &
Notus adulter.

Fabulas plureis OvidI recenſet
Non & implevit? renovabit unam,
Auſa Pelignæ Veneris patenteis
Viſere ſilvas.

Dicitur Vates. Cave, ne profanis
Fuſtibus cædas: ideo decebit
Laureis ſacræ ſcapulas SIBYLLAE
Findere ramis.

Non habet nullum mea POLLA *naſum.*
Sed nimis magnum, nimis eruditum:
Ferre quem totum neget ipſe, qui fert
Maurus Olympum.

Mitis apparet, ſine felle. verè
Dicis, *apparet.* nec enim, quid intus
Sibilet, noſti. latet hac, Amice,
Anguis in herba.

Mitis in præſens. alii futurum
Cautiùs ſpectant. dubios regreſſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Præbet, ingreſſus facileis amanti
Femina quævis.
Blanda. Sermones redolent Hymettum:
Melle conditos jaculatur hamos.
Sæpe diffundunt animi paluſtres
Limpida verba.
Blanda. Sed ſexum coëunt in unum
Terror & mixta metus acer irâ.
Nupta bellatrix ſimul intrat ædes,
Pax ſimul exit.
Cordis ex fundo bona. Si reperta
Talis; & talis tibi ſi reperta eſt:
In tui nidum thalami volavit
Candida cornix.
Quid? quod à portu, CAROLINE, primùm
Solvis in pontum. Zephyrine ſperas
Semper afflatu dare vela molleis
Tuta per undas?
Æquor, & Tethis tua ſurget olim
Sæva bacchari, quatietque navim.
Caſtor & Pollux HELENAE coacti
Cedere: flebunt.
Tunc & infauſta ſatus eſſe Luná
Lacrymans dices, & amaſſe Diras:
Exſecraturus veluti ſcatentem
Cimice lectum.
Patriis multos pepulere tectis
Fumus, ac lapſæ per aquæ capaceis
Tegulas ſtillæ; rabioſa plureis
Expulit uxor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

XIX.

AD VALERIUM ADONEM, LAURENTII ADONIS Fr.

MUSÆ CINGARÆ.

Sive Artium & Scientiarum de Regno in Regnum migratio.

TEllus, quæ ſeptem ſubjecta TRIONIBUS, olim
Eſt viſa Priſcis *barbara*.
Crediderant ſolas habitari à TEUTONE ſilvas,
Vel teſqua plena vepribus:
LECHIADAS vaſtos urſorum inſidere ſaltus.
Geluque concretos mori.
Præterea paucos naſci non mentis opacæ,
Sub axe ſpiſſi ſideris,
Cruda, velut quernas glandeis, ructare colonos
Ac verba tantùm ſtridula:
Verba, ſono duros lapides, rigidaſque nivoſi
Ruptura cruſtas fluminis.
Ut nequeam quædam TACITO teſtata negari;
Nec omne rus defenderim:
Altera nunc Ævi facies, verſoque theatro
Mutata ſcena prodiit.
Nam ſummis exculta Viris ALEMANNIA floret,
Summos dabit POLONIA:
Ac niſi Gradivi furor obſtrepat; extera Regna,
Saturniumque provocent.
Id gaudens miraris, ADO, cauſſamque requiris.
Divino: paucis accipe.
Ex quo PARNASSUM, vaſtantibus omnia Turcis,
Deſtruxit enſis Thracius:
Expulſæ Patria MUSAE ceſſere Pelaſgâ,
Quævis ſuo cum barbito.
Detinuit profugas LATIUM clementer Alumnas,
Ædemque & Aras obtulit.

Ut tamen ingenium leve cujuſcumque puellæ eſt,
Viventis extra patriam;
Quamvis eximiis colerentur honoribus illic,
Sedem negarunt figere.
Hæſit dira ſemel dulciſque cupido vagandi.
Odere Terminalia,
Clauſtrorumque moras. muliebriter omnia luſtrant,
Vicos, plateas, compita.
At ſolito DIVAE ne dignoſcantur amictu,
In veſte migrant comicâ.
Nuper apud GRAFFAM citharæ cum fila ferirem,
Repentè CLIO ſubſtitit:
Os habitumque gerens quatientis ſiſtra Canopi,
Ægyptiæve *Cingaræ*.
Lætus, & ignorans, peregrina numen amicum
Latere ſub ferrugine:
Flagito contemtim, viſis ut Fata recludat
Manûs ſiniſtræ lineis:
Porrexique manum, ſpecie ludentis, apertam
Fuliginoſæ Virgini.
Illa nihil dubitans, digitos inſpexit acutùm,
Sinuſque ramoſos volæ.
Denique vaticinata: *diù ſi vixeris*, inquit,
Morière grandævus ſenex.
Iſta joco: ut poſſem ſimulatum agnoſcere vultum,
Macer manebis, addidit:
Nomine meque meo vocat, os mutata decorum,
Terſa genis nigredine.
Aonia qualis Phœbi conſedit in arce,
Donec ſinebant Biſtones.
Protinus exſiliens ego: cur, DEA, ſchemate vili
Formoſa celas lumina?
Pſaltria ſubriſit: noſtrum eſt, errare per urbeis,
Et regna, quò fert impetus.
Hoc & Calliope facit, Euterpeque, Eratoque.
Omnes novem Permeſſides,
More peragramus fuſcæ *Nilotidos* Orbem,
Magno bono Mortalium.

Qualis

Qualis enim ventus graſſatur, & æquora flatu
Auraſque purgat inquies;
Sollicitis homines diſcurſibus uſque movemus,
Ne computreſcant otio.
Utque Ceres olim, raptam à prædone marito
Cum quæreret Proſerpinam.
Semina ſparſit agris ſegetum fecunda, viaſque
Veſtivit omneis frugibus:
Sic nos projectis iter omne replemus avenis;
Et ſeminamus nablia:
Excolimuſque animos, & barbara corda domamus
Artis canoræ laudibus.
Dignamurque rudes etiam, penituſque remotas
A ſole genteis viſere.
Non vallis, non rupis obex, non ſtagna retardant,
Non terret aër craſſior.
Extremos hominum MORINOS quos Roma putavit,
Nullaque claros indole;
An non linquentes, nobis ſuadentibus, antra,
Levantur in faſtigium?
Tendimus & torvam Boreæ glacialis ad ARCTON,
Canæque monteis RUSSIAE.
Dixit: & incuſſo ſacras velut Iſidis ante
Siſtro fores evanuit.
Nec tu plura velis, VALERI. quæſita tenemus:
Stupere porrò deſine.
Hinc doctos non ſola viros jam GRAECIA profert,
Nec ſola Tellus ITALA.
Hinc eſt multifidi felix induſtria BELGAE,
Arteis in omneis fuſilis.
Hinc BATAVUS ſolers, & piſcatoria cymba
Multis tremenda claſſibus.
Hinc numeri faciles, & raſi pumice Verſus,
Tubæque clangor aureæ.
Hinc, inter primas, animoſa *Tragœdia* magni
Et invidenda GROTII.
Hinc eſt Sarmaticæ fidicen celeberrimus oræ,
Par CASIMIRUS Orpheo.

Jacta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Jacta TYBRI tuos, quanto potes ore, Poëtas:
Suo triumphat VISTULA.

XX.

AD HEGESIPPUM IMBRICUM.

Amico Epithalamium petenti negat.

ODE.

FEſſum terendis, IMBRICE, tibiis
Fruſtra remulces. forſitan *Herculi*
Licebit *extorquere clavam:*
Difficili mihi nullus Oden
Eblandiatur. Sunt alii, quibus
Mercede pactis, gratiùs incidet
Cantare feſcennina. nobis
Non lubet hanc ſcabiem fricare.
Urgere ceſſa. nam potiùs juvat,
Cum vim moleſti non patimur Dei,
Germana digeſſiſſe facta
In numeros, paribuſque vitam
Curis fluentem magnanimi DUCIS,
Ævique noſtri ſcribere prœlia;
Horroris, armatæque plena
Sævitiæ, dubiique Martis.
His immorari nunc animo ſedet
Torvùm tuenti, & ſollicito parum,
Quid Muſa nugetur jocoſa:
Quæ volucris bibat Hippocrenen.
Sin et cupido ſuadet amicior
Alterna; quamvis dira Poëſeos
Rareſcat obtritæ voluptas;
Pegaſeis bene vectus alis
Luſtro, quod uſquam eſt: ſive Quiritium
Metas & urbem: ſive Othomannici
Nidum tyranni: ſive caſtra
Sub Latiis Alemanna ſignis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

At ex amœno colle domum redux;
Simul calenteis fulminis ocreas
Exutus, umbrantem galerum
Depoſui, citharamque & arcum;
Demtiſque frenis ſubſtitit alipes:
Moroſus alto ſeria pectore
Momenta rerum libro. credas
Ex medio reducem Senatu.

XXI.

Melancholia.

Ultima luctamur torpenti carmina nervo;
Et ſubeunt mala tædia vitæ.
Non ſatis eſt uno miſerum tabeſcere luctu:
Poſt meſſem ſeges altera creſcit.
Poſteriorque dies infauſto ſidere pejor
Succedit, ſuperatque priorem.
Digere moroſas, Mens triſtis, & exſere curas:
Incluſus magis æſtuat ignis.
Ejice ſtridentem, nullo tamen ordine, rixam,
Ut fugiat, pande oſtia centum.
Turbatum confunde chaos: modò ſe Dolor intus
Reſciſſo velamine laxet.
Sæpe vel invitus blanda inter verba canentis,
Audita teſtudine ceſſit.
Unde querelarum latrata exordia ſumam?
Heic inopem quoque copia fecit.
Deſeror à BIRRO. Solem jam deſerat Eos,
Et gratam ſibi pampinus ulmum.
Cùm me FLAMINIUS tutari poſſet ab imbri,
Humenteis immiſit in Auſtros.
Jam neque Pirithoum Theſeus, neque Niſus in armis
Euryalum defendet inermem.
COLLINUS, cui nec torquendæ munera ſtivæ
Credideram, regit æquore puppim.
Pingat acu figulus: vendat jentacula ſutor:
Piſtores operentur alutâ;

Paſcen-

Paſcenduſque fabis vili ſub fornice textor
Argilla jam pocula fingat.
MUFFO nocens, in me litem exoneravit acerbam,
Ignotæ ſum victima culpæ:
Inſons ille volat. Corvi mutate colorem:
MUFFONIS candeſcite plumâ.
Sumite vos mecum nigrantia vellera cygni:
Innocuus deſcribitur ater.
BANDA quidem promiſit opem: ſed, ſi ferat, aſtra
Nata ſolo, mare frugibus aptum.
Murænas in agris, conchaſque in monte videbo
Æquoreas, & in aëre cervos.
Ecce meus MARACIPSA redit. fugiamus ad Indos;
Nam miſero quid denique reſtat?
Inſultare palam, quia necdum linquo Camenas,
Torva tuens BOXHORNIUS audet.
Inſultent pardis lepores, & dama leoni,
Laſcivuſque cuniculus urſo.
Quam minimùm novit, jactat DONCARPIUS artem,
Et Vates cupit ESPHO videri.
Carmen apri ſcribunt roſtro; terreſtris aſellus
Siſtra ferit, ſaltante marino.
SCANDOLA Pieridum cœtu notiſſimus olim,
Alſaticæ flos SCANDOLA terræ;
Indubitare mihi fertur. jam Caſtora Pollux,
Jam Pyladem culpabit Oreſtes.
Suſpectat maciémque, & noſtra RAGUSIUS oſſa,
Et tergum ſpatioſius æquo.
Atque adeo pinguem putat, & præconia demit,
Quæ graciles meruere Poëtæ.
Contrahe Sol radios, tenebris accingere cœlum,
Proque die nox luceat atra.
Plurima jam fiunt. fieri quæ poſſe negabam:
Vix, Lex eſt; injuria virtus.
Irriget Heniochos Ganges, Artaxata Rhenus,
Germanis oriatur Anauros.
Suſpenſo quoties pede præterit INCOSAMUCHUS,
Contemtu ſubridet amaro.

Rideat

Rideat & Mœris DAMONEM, & Mopſis ALEXIN;
Aque ululis ſpernantur ALAUDAE:
SCHARCOPPUS cinctum foliis incedere Lauri
Aonio ſe credit in horto.
Sic pariter poſſint inter ſublimia vaſti
Delphines querceta vagari.
Sic liquidas vituli nubes ſulcare volatu,
Cum remos agitante camelo.
ILPUSIUM ſcimus, NELLUMq;, & CHARRHACASAURUM,
Atque aliquem, quem dicere nolo;
Quamquam hoſtes; odium idcirco poſuiſſe remotis
Antiquæ diſſenſibus iræ:
In noſtrum ut poſſint dextra lævaque rotari
Tela caput, (lacrymabile dictu.)
Jungatur canibus ſerpens, & ſimia gallo.
Non aliter fit culeus unus.
Sanciet æternam cum Turcis Perſia pacem;
Se Batavus ſubmittet Ibero.
Interea noſtros, quod formidabile miror,
Sollicitat QUENEVENUS amores.
Bollanus Flacco placeat, Criſpinus Aquino;
Deterior QUENEVENUS utroque.
Tormenti genus! in faciem KIEVVEIDUS amici
Admoto ſpuit ore ſalivam.
Reſpuo. tam lepidam bibat hoſtis mane ſalutem:
In Suecos vertatur & Hunnos.
Aſſiduus blanditur ACOR, BLANCHUSQUE, SADUSQUE,
Et minio depictus OSERBES.
Mulceat ignis aquas, flammæ foveantur ab undis;
Laudet Hiems Æſtatis ariſtas.
Cur alium incuſo? mihi ſum tamen ipſe moleſtus,
Et reliquis crudelior hoſtis.
Qui ſolidis validum membris, & pectore lato
Me fortem ſperebar inani;
Heu, ſubitò frangor! quamvis florente juventa
Alpinæ procumbite quercus.
In ſuras nuper cecidit lentiſſimus humor.
Qui madido me torſerat igni,

Jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Jam quoque in Ægyptum pluvio cadet æthere nubes,
Monſtrificum ſparſura liquorem.
Creſcere ſi pergat pedis illætabile viſcum,
Et podagræ ſervire minanti;
Præcipitant jam Plauſtra freto: jam mergitur Arctos,
Nec ſicci rediere Triones.
Quid? quod feralis toties veſpillo Catarrhus
In fauceis illabitur arctas:
Utque animæ follem ſpiranti occludat & auras,
Pulmonem ferit imbre caduco.
Sic eſt: occulta me vi magnetica tuſſis
Et trahit, & deducit ad umbras,
Elyſiumque *Polum.* vergo. disrumpite tandem
(Sat vixi) mea ſtamina PARCAE.
Sed vereor, ne, ſi rumpatis, *ſiſtite*, clamem.
Subjicio me NUMINIS urnæ.
Quam bene nunc animo eſt! ſubitò fugere dolores;
Dulce redit poſt nubila ſudum.
Eſt aliquid, ſua, ſeque DEO committere totum.
Pono lyram: poſuere tumultus.
At ſitio. Cereris coctum libamen aquoſæ
Vade Puer infundere vitro;
Pallidulam, gelidam, tantoque ſonore crepantem,
Ut ſpumæ quoque ſidera lambant.

SIL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

SILVARUM
LIBER VI.
De Magno & Parvo:
SIVE
Certamen Gigantis cum Pygmæo.

AD CLARISSIMUM VIRUM
JOHANNEM TARANDAM.

VOLUNTATI *tuæ magis, quam animo meo obſecutus, optime* TARANDA, *quod nuperrime petiveras, certamen ingens deſcriptum tibi ſiſto; prodigioſum par athletarum: quod ab communi ſtaturæ mortalium, ſive infra mediocritatem depreſſa, ſive ſupra heroum humeros evecta, jocantis Naturæ feſtiva hilaritas ſecrevit. Compoſueram olim tres Dialogos de Pygmæo & Gigante, in gratiam* JODOCI FLASCKONII, *ſtylo dramatico; quos cum poſtea ſæpius exhiberet, ipſius eſſe crediti ſunt: nemine obloquente. neque enim tanti erant tria licia conceſſa amico, ut repetenda ducerem, vindicaremque. donec* CHRISTOPHORUS NUSIUS, *ex Stoica Secta familiaris aperuit: alicubi paſſim mea, velut propria uſurpantium, verti mutarique, nullo diſcrimine, utque crederem. addidit: ſe ſpectatorem certaminis hujus fuiſſe, æſtivalibus Feriis, in ſilveſtri Theatridio exhibiti, cir-*

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

cum nemora & fontes. Initium à Faunis datum: impare diverſarum arborum, ad Orphei lyram ſaltantium, congreſſu præludente. Primo Dialogo, quaſi Actu, finito; majorem chelyn minori concertaſſe, ſalice & quercu in ejuſmodi additamenta aptatis. finem ſecundi Actus, exceptum luſu moloſſi & Melitenſis catelli; ſatyriſ is cuncta nimirum ſcite adgubernantibus. Tertium, ab morte humanâ larvâ adſpectabili clauſum, faſtuoſa jactatione corporis viriumque, in Magno æquè ac Parvo bellè compoſitâ, mure & elephanto pariter obtritis. His ſuadebat NUSIUS, *ut Fabulam, quamvis minime ſumtuoſam, meo nomine vulgare vellem. eo ſaltem fine, ut alienorum ſcriptorum incubatores, Muſis ac Gloriæ in poſterum litaturi, ſuo ture uti moneantur. Adhæc ſapientiùs facturum; ſi qualemcumque aſſem dividerem vivus amicis, ne mortuus eviſcerationem præbeam raptoribus. Diu repugnavi; quòd dicerem: videri mihi Poëtas, ad naufragantis Famæ ſcopulum allidi, quotquot edunt illa, quorum exercitatione calefacti, ipſam Poëſin primùm didicerint; aut ludibundi tantummodo, ſpecimen Artis & plausûs ephemeri, ſparſerint in vulgus. Ab uſu confirmatis, virili maturoque judicio recèns inventa, feliciùs eluctari, atque ætatem ferre. Non deſiſtenti tandem obſecundavi, nullo propterea angore gravaturus plagiarios, ſcenicoſque mangones. Scripta namque, quibus nomen Auctoris ipſe non præfixero, inter mea certe numquam agnoſcam. Tu*

TA-

TARANDA, vultu, quo ſoles, hilari ac bono excipe hunc luſum. Vno alterove folio totus abſolvitur. è quibus tamen Pumilio Libellum; Gigas, niſi prohibes, etiam Librum facit.

DIALOGUS I.

De forma Corporis.

PYGMÆUS. GIGAS.

P. SAlve MAGNE GIGAS. ſi ſonitum tamen
Audis; & gracilis vox poſitas procul
Hinc pertingit ad aureis.
Num turres etiam ambulant?
G. Salve *parve Puer*, Myrmidonum genus,
Pugillaris homo: fallor? an obruit
Me glaucoma? quis ille
Paſſer, ingreditur ſolo?
P. Velox in tereti corporis eſſedo,
Artus dum facileis circumago: ſat eſt.
Nil poſſit dare majus,
Nil natura beatius.
G. Quem procera parens edidit integrum,
Stirpem non dubiam Semideûm probat.
Audis? eſſe puſillum,
Quædam eſt corporis orbitas.
P. In nobis veneres, & lepor, & joci,
Argutique ſales, atque habitus decens:
Et vernæ thymus auræ,
Et triplex habitat Charis.
G. Si quis ſanguinea conſpicuus roſâ,
Sed curtus, radiat veſtibus aureis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Formoſum voco: nullus
Veſtro PULCER in ordine.
P. Formoſos ſed enim quis Tityum vocat,
Dejectumque cava rupe Damaſlora?
Nil deformius atris
Vaſta mole Cyclopibus.
G. Deſpectis quis enim pumilionibus;
Seu ſit carus Hylas Oceanitidi,
Seu ploratus Opheltes;
Formam ruſticus invidet?
P. Turpis forma bovis, cui palearia
Pendent: turpe genus mobilis inſulæ.
Mî balæna videris
Magellanica; non homo.
G. Vitæ mica brevis, cædua corporum
Scobs, & dimidii vix prodromus viri:
Mî ſcintilla videris,
Si riſus tibi ſubſilit.
P. At certe plateis puriùs oppida,
Quæ ſunt parva, nitent; Magna LUTETIA,
Eſt plerumque lutoſa.
Squalent maxuma ſordibus.
G. Cœli quod ſpatium quantaque vaſtitas!
Ingens noſtra velut gloria CIRCULUS.
Terræ gloria veſtræ
Puncto clauditur unico.
P. Noſtri Smyndirides, & Salapuſius,
Et Gyges, & Itys, dulcia nomina:
Et Nireus, & Adonis,
Et tu candide Cillare.
G. Noſtri ſunt Capaneus, Hippomedon, Mimas,
Sarpedon, Bytias, Pandarus, Arſaces,
Pallas, Tydeus, Arnon,
Phorbas, Acrocorinthius.
P. Felix, qui potuit ſub tenui lare,
Sed culto Patriæ degere; ſed ſuo!
Parvæ pinguia glebæ
Vaſtis præfero ſaltibus.

G. Py-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

G. Pygmæis quibus eſt SPARTA ſatis ſua?
Hic optat cubito longior, hic manu;
Alter poplite major,
Hic toto fieri pede.
P. Quantillum, nebulo, denique me putas?
Molem quot ſcopulis exſuperas meam?
Metiri placet artus:
Æquus judicet arbiter.
G. Cur non abripior trans Aliacmona!
Is demum furor eſt intolerabilis,
Ridenduſque: leoni
Si litem moveat culex!
P. Verbis nil agitur bella crepantibus.
Congreſſus dirimet. provoco. conferam
Tantis membra lacertis.
Si vis: exuo calceos.
G. Cur non ipſe meos exuo? metiar
Iſtud prodigium. Suſpice Pumilo!
Hæc menſura ſtaturæ.
Quamquam *calceus* eminet.

DIALOGUS II.

De Dotibus Animi.

PYGMÆUS. GIGAS.

P. Vivendi genus in corpore fuſius
Mirentur ſtolidi: mentis acutior
Succinctam tamen optat
Membrorum Dialecticam.
G. Diis grates: quod ab hac Arte removerint.
EXPORRECTA MANUS, Rhetoricum placet
Corpus. non ego *pugno*
Compreſſus cupiam mori.
P. Parvi, queis teneram contrahit indolem
Membrorum brevium grata modeſtia;
Unus quod TITUS olim,
Orbis deliciæ ſumus,

G. Magni, qui ſolidis ardua viribus
Cœlo ſurrigimus corpora: non quidem
Veſtro more faceti,
Sed nec *ridiculi* ſumus.
P. Num quò major, eò quis ſapientior?
Dii nobis dederunt ingenium. truci
Neſcis, quis Polyphemo
Frontis lumen ademerit?
G. Num quò quiſque minor, non et ineptior?
Mentis plus elephas, anne cuniculus;
Bacchi vector aſellus,
An Martis ſonipes habet?
P. Gemmis quid minus eſt? at precioſior
Cenſetur Scythicis unica rupibus.
Malis eſſe ſmaragdus,
Quam cautes Rhodopeïa.
G. Malis in viridi cedrus ad æthera
Intonſum Libano tollere verticem;
Quam ſemper male olenti
Morderi cythiſus capro.
P. Si tentare juvat navibus humida:
In ſummo placidi margine fluminis
Ducam tutiùs alnum,
Quàm Tyrrhena per æquora.
G. O quicumque ſecas remigio fretum:
Seu cymba veheris, ſive liburnicâ;
Anguſtas cave *fauceis*.
Et ponti *brevia* improba.
P. Quid parva minus eſt, dic, ECHENEIDE?
Atqui turrigeris obvia claſſibus,
Nautæ, *ſiſtite*, dicit;
Siſtunt: *ite*, ſupervolant.
G. Nil vobis fateor, nil, equidem ſcio,
Eſt uſquam Pumilis imperioſius.
Quod cœlum, mare, tellus,
Nullo non queritur loco.
P. Nocturni lemures, quæque hominem ſono
Triſti Cerbereæ terrificant canes;

Tur-

Turrita face longi
Apparent prope mortuos.
G. At non Cœlicolis hoc vitio datur,
Proceros, veluti robora, ſuſpici.
Celſo Jupiter ore
Nubeis cogit, & intonat.
P. Parvis ignis ineſt ille Prometheos,
Divino procul hinc raptus ab æthere;
Magnis tarda Bootæ
Hærent pectore frigora.
G. Magni conſilium ponderibus ſuis
Librant, & populos imperio regunt.
Olli ſceptra capeſſunt:
Olli fortiter imperant.
P. Naturæ genium, ſi ſapis, inſpice.
Ignis, qua minor eſt, eſt magis efficax,
Summo flammea cono
Urit *Pyramis* acriùs.
G. Dic: piſum fragilis canna volatile
Vi majore rotat; quàm globus æneâ
Vibretur catapultâ,
Tormentiſque curulibus?
P. Quamvis exiguum corporis angulum
Sortitus; cubitis eſt tamen altior
Sexcentis habitator,
Eſt ingens ANIMUS mihi.
G. Eheu! quam miſer eſt incola carceris
Arctatus ſpatiis, atque domo ſuá
Major! Regibus aulam
Dignam REX ANIMUS petit.
P. Palmas in mediis ſæpe periculis
Non uno referunt nomine maſculi.
Certe ſtrenua Virtus,
Virtus *maſcula* dicitur.
G. Sic Virtus etiam dicitur improba:
Sic Lucus ſterili lucet in algido.
Vobis maſcula corda:
Nobis ſunt animi mares.

P. Ille inceſtificus terror & inſolens,
Ille ille Iſacidum non dubius tremor:
Immanis GOLIATHUS
Noſtra procubuit manu.
G. Veſtra? Paſtor erat jam validus manu
IESSIDES: juvenis magnanimus feros
Jam porrexerat urſos.
Qui vos in leporem viri?
P. At non Marmaricos Romuleus CATO
PSYLLOS anguifera ſprevit in Africa.
Hi fatale venenum
Pellebant procul agmine.
G. Tu *Pſyllos* memoras fortiter. HERCULES
Dicatur potiùs. maximus HERCULES
Veram contudit Hydram.
Pæan debitus HERCULI.
P. Pellæus MACEDO quantulus adſpici?
POROS ille tamen perculit Indicos.
Immortale tropæum
Non deleveris invide.
G. Dicam, quod mihi ſit, *Nane*, celebrius.
Utrumque, in nihilum ſi redigat DEUS,
Saltem tunc ego MAIUS
Fiam, tuque *minus* nihil.
P. Vis collecta valet. ſparſa per ambitum
Et diffuſa perit. Bella recollige:
Res virtute geruntur,
XERXES, non numero bene.
G. Horum teſtis ego: nam neque, ſi maris
Totius, pueros in ſimileis tui,
Convertantur arenæ;
Æquent me, licet unicum.
P. Neu nos vile genus, neu timidum voces.
In cornu gerimus fœnum, odia & faces.
Quondam figimus enſeis
A plaga memorabileis.
G. Credo: nam veteri voce Quiritium,
Formicis etiam bilis ineſt ſua.

Ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Ne rumpare lagena
Flatu turgidior, cave.
P. Stringamus gladios. Tu capulum refers,
Vim mucronis ego. Dic, age, dum furit
Mars & vulnera miſcet:
MUCRONEM, an *capulum* times?
G. Neutrum. proh rabiem! mene etiam tua
Audes tangere acu? Quos ego! ni fugam
Captes *Grylle*; ſepultum
Vaginæ citus inferam.

DIALOGUS III.

Pygmæi & Gigantis prærogativa.

PYGMÆUS. GIGAS.

P. NUnc ô, nunc adeo parvulus HANNIBAL
Totis congrediar viribus. inſonent
Noſtro barbita campo.
Ferales ſileant tubæ.
G. Nunc, nunc congrediar SCIPIO, pollice
Hoc fruſtum *Libyci* ſternere *muſculi.*
Edat buccina ſignum;
Et cedant lituis lyræ.
P. In rebus modus eſt. immodicum nihil
Durat. perpetuo ſuccutitur metu
Is, cui Fata dederunt
Longam vivere perticam.
G. In rebus modus eſt. immodicè breveis
Odi. ſe fruitur longè animoſiùs
Vir, cui Fata negarunt
Preſſam vivere ſpongiam.
P. Optares minui dimidium tui.
Curvandus toties; janua cum premit,
Et rectum furibundus
Allidis trabibus caput.
G. Novi, qui precio ſupplice Comicos
Perones gradiens emit; ut altior

Conductis peregrinum
Scalis lamberet aëra.
P. Prærupti ſilices, ſaxa Liguſtica,
Adſpectu ſubeunt nubila tetrico.
Vivis conſitus hortis,
Multo collis amœnior.
G. Atqui dulcius ex monte fluentia
Rerum, & tot capitum ſparſa papavera, &
Nanos cernere colleis,
Contemtu miſerabileis.
P. Sed nos non toties fulmina verberant,
In monteis rapida torta Jovis manu.
Paſſim funera ducunt
Devaſtata ceraunia.
G. Dum nos verticibus ſidera tangimus:
Quæ ſublime caput fulmina verberent?
Summo fulget in axe
Longe purius otium.
P. Nos rerum Domini. Roma patentibus
Frenis cuncta regit: femina Conſules
Romanos: ea parvo
Eſt ſubjecta Cupidini.
G. Hîc, ô nequitiæ puſio maximæ.
Hîc vincis: fateor, Cyprigena ſatus
Caſtum prædo pudorem
Veſtro corpore decipit.
P. Non et noſter erat, quem Jovis armiger,
Donatum roſei nectare poculi
Pincernam, ſuper aſtra
Uncis ſuſtulit unguibus?
G. Cur illos retices, quos rapiunt *grues*
Alis præpetibus trans liquidum nihil?
Sic te præda volucrum
Auferri ſinis! ô Virum!
P. Laudetur croceus Praxitelis puer:
Et quem Protogenes lactea candidum
Infantem Genitricis
Grajæ pinxit ad ubera.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

G. Timanthes celebri laude ſuperbiùs
Sub vaſta poſuit rupe Pyracmona:
Armatumque Theonis.
Ingens fama canit Virum.
P. Longum, neſcio cur, triſtius eſt Brevi.
Tædî, neſcio quid, longum habet & vitî.
Si ſint libera vota:
Optabo breve gaudium.
G. Quid cenſes brevibus de *Gyaris?* malum
Dic, ex carceribus vis minus eligi?
Parva eſt dira *Scriphus:*
Majorem metuas magis?
P. Cum ſtringit medium ſumma dies polum,
Libratoque pares lumine dividit
Formoſiſſimus horas;
Umbras Sol minimas facit.
G. Veſpertina tamen gratior incidit,
Quamvis umbra ſuo corpore longior.
Tunc ſe libera campis
Credit turba, nec æſtuat.
P. Lælaps, & Pterelas, & Dromas, & Nape,
Et Dorceus, & Hylax, & niger Asbolus
Haud mulcent. Melitenſis
Iſſa, eſt gratior omnibus.
G. Sed nomen validi majus habent canes.
Dicuntur meritis laudibus HECTORES:
Sumunt nomen ACHILLIS,
Æquanturque leonibus.
P. Nonnumquam Citharæ CYNTHIUS aureæ
Inſertum ſonitu lactat amabili:
Tunc non vilior Echo
Intus ludere geſtio.
G. Rem miram memoras. Sic, niſi fallor, eſt
Pulex in tunicâ, muſculus in ſcrobe;
Et, ne deſit acumen,
Sic telum in pharetra latet.
P. Argilla patinæ ſæpius obliti,
Sub coctæ praſina nube ſiliginis,

Ceu regale tragema,
Menſis inferimur Deûm.

G. Non tantis equidem dignus honoribus,
Convivis fieri ludibrium petam.
Malo accumbere menſæ,
Quam ſiſti breve ferculum.

P. Vitæ fila meæ gemmea, non ſine
Byſſo, ſollicita net LACHESIS manu:
Veſtræ comparo craſſis
Vitæ fila rudentibus.

G. Vitæ fila tuæ (quando adeo placent)
Et flavæ ſuperant licia Palladis.
Quæ non Parca, ſed artis
Solers nevit aranea.

P. Reſtim juſta tibi Fata, precor, neant.
Et nent. crudus enim & craſſus es unicè.
Mî de virgine lana
Veſtis candida texitur.

G. Addo: quæ gracilis cumque tibi Dea
Ex ſpina ſubigit pendula ſtaminum:
Ne naſo tenus erret,
Vitreis utitur orbibus.

P. Rides? te rigidis aſpera cautibus
Excîdit genitrix. te mare Caſpium
Sævis exſpuit undis.
Suxti tigridis ubera.

G. Ploras? te genuit, cum gemuit Thetis.
Implevit madidas unica cœrulæ
Matris lacryma cunas:
Qualis gramine labitur.

P. Cur tantum ſpatii bellua gloriæ
Jactas? ſola probant funera, quantula
Sint corpuſcula. plus me
Tangis mortuus, an vides?

G. Si non plus video, plus tamen occupo.
Mî vix ſufficiunt ter tria jugera.
At tu funus, alaudæ
Nido paupere conderis.

P. Vos

P. Vos plerumque feris eſca volucribus
Projecti, Geticas paſcitis alites.
Nos componimur urnâ,
Quam circùm violæ fragrant.
G. Ut clauſus recubem pyxide! ſtat mihi
Orbis pro tumulo. non moriar tamen
Infelix. habet urnam,
Quem cœli tegit ambitus.
P. Ut parvi modico, ſic placido ſitu
Manes ARCHEMORI ſub caſia virent.
Nemo læſus odore
Noſtras exſequias fugit.
G. Haud vulgaris honos, magna cadavera
Accedente metu digniùs adſpici.
Hic eſt nobilis horror,
Famamque ENCELADI decet.
P. Optent cruda Scythæ. Da bone Jupiter,
Aut hoc, aut ſimili carmine me legi:
Heic parvus jacet Hyllus.
Olim nix, Roſa, lilium.
G. Optet blanda Cilix. Da bone Marſpiter,
Aut hoc, aut ſimili marmore me tegi:
HEIC MAGNUS IACET HAYMON.
NOBIS PLURA; FUIT GIGAS.

MORTIS
AD MORTALES PARAENESIS.
Contra vanam corporis ac virium oſtentationem.

ODE.

NONDUM poſt cineres, juſtaque fulmina, &
Phlegæa domitam ſtrage ſuperbiam,
Vanus Terrigenûm detumuit furor!
At ne ſola quidem ſtirps ENACIMIA,
Immanive ſatus PORPHYRIO Gigas,
Bacchatur tumido corpore vaſtius!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Qui pauſlò ſpatium grandius occupant,
Jam ſe celſa rati tangere nubila
Deſpectant alios, immemores mei:
Ceu ſterni nequeant, inſuperabiles.
Inſani. quis enim reſtitit, aut avis
Ex veſtris ſupereſt? Nil validum mihi
Munitumque ſatis. cum fragili casâ
Summas Pyramides; has pede protero,
Illas frango manu. Vilibus arduas
Cum virgis Libani dejicio cedros.
Quercus Cæſareas miſceo Populo.
Tam morus ſapiens, quam fatuæ jacent
Ficus in tumulis, quo volui loco.
Cultro parva cadunt, magna ſecuribus.
Et terrena meis glebula viribus
Obluctetur *Homo!* Nunc BRIAREûs ubi,
TITANEsque, hominum monſtra rebellium,
Auſi cum ſolidis rupibus inſulas
In cœlum anguiferis tollere brachiis?
Letum cuncta domat. nemo recalcitret.
CONTRA ME CLYPEUM FERRE, PIACULUM EST.
E terra geniti diſcite Filii
Faſtum ſollicitis ponere frontibus.
Nullum, qui minor eſt, ſpernite ſupplicem.
Saltem frater erit: frater originis
Ejuſdemque luti. quóque minor, magis
Dignus præſidio. Vultur aëdoni;
Securis, poſito fulmine, ſpinulis
Ales vera Jovis; & lepori leo
Colluſiſſe datur. Si potuit lupus
Blandiri capreis, urſa cuniculo:
Et te, magne Gigas, Pumilionibus
Indulgere decet. Tu quoque, *Maſcule,*
Solers obſequiis ac precibus tibi,
Ne ſævire velint, concilia MARES.
Ah! ne ſumma petas. qui cupit amplius,
Quam NATURA dedit; non capit amplius,
Sed perdit, quod habet. Non ita Caſpiis

Illiſus

Illiſus ſcopulis Oceanus tumet,
Æſtu cùm rapido ſpuma refunditur:
Ut fervens animi pſyllus Homuncio;
Qui deſideriis ictus inanibus,
Parvo ſe queritur corpore deſpici.
Nunc in triſtitiæ labitur alveum,
Suſpectatque viros; quorum humeris premi
Submittique timet. nunc nimis anxiâ
Expendit facileis aure facetias,
Idem lætitiis diffluit improbis:
Poſtquam artus tereti menſus arundine
Excreviſſe putat: tam ſibi credulus,
Quam voti cupidus. Sed nihil adjicit
Teſtæ ſtulta brevi mentis opinio.
Non, ſi continuis rana ſonoribus
Ripas, ſtagna, lacus, littora compleat,
Rumpaturque; maris cærulei bovem
Æquet. rana manet rana. Quid, ô, caput
Emtis ædificas, *Maſcule*, crinibus?
Fruſtra te crucias, inque pedum micas
Primores digitos, pungere doctior
Quàm calcare ſolum. ſuppoſitæ nihil
Lamnæ proficiunt: ſutilibus nihil
Cum fulcris tragici pondera calcei.
Addas longa licet crura ciconiæ;
Perſonæ cubitum non potes addere.
Ars moroſa patet. deſinit in jocum
Vilem ridiculæ ſcena ferociæ.
Ut circumſpicias omnia, te tamen
Numquam major eris. provehet unica
In majus placidæ forma modeſtiæ.
Altos comprimito, *Maſcule*, ſpiritus:
Diceriſque tribus turribus altior.
Pronus ſæpe genu flectere, creveris.
Contemni modicus ni fugis, emines.
Dici non humilis ſi petis; expete.
Submittas animum, pulcriùs eriges.
Qui ſe diminuunt ſponte, decempedam

Membris adjiciunt. Ocius advolat
Opportunus HONOR, vimque jacentibus
Infert, & liquidum tollit ad æthera.
VIRTUS neſcit humi ſordida repere.
VIRTUS alta ferit ſidera vertice.
VIRTUS efficiet te Superis parem.
VIRTUTIS ſpatio major habeberis.

SIL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

SILVARUM
LIBER VII.

complectitur

Miſcellanea ſacra.

QUIRINO GAREPINSIO.

CUI *ultimum Silvarum librum dedicarem, extra te potiorem mihi duxi neminem, optime* GAREPINSI. *Camenæ præſentes tecum faciunt, rapiuntque in contemtum terrenarum rerum, ac tuo quodammodo ſpiritu inflantur. tuo, inquam: qui in ipſo vitæ flore, illecebris adoleſcentiæ circumfluens, provida feſtinatione ſubduxiſti Fortunæ caput: & jam ejus blanditias terroremque ſupervectus, nec iratam metuis, nec placidam curas. Opes, avitum ſtemma, generoſus ſanguis tibi poſt Chriſtum fuere. felicem audaciam mirantur multi, pauci imitantur. Non cujuſvis eſt inter divitias fumoſaſque imagines attollere mentem celſius, & ante funera inferre ſideribus. pleroſque humilitas voluptatis deducit in terram; tam jucundâ ignoratione virtutis veræque gloriæ captos, quàm periculoſâ libertate in ſcelera vagos. Contra hos opuſculum iſtud non pauca infert: &, quia per omnes fere ſinus ſacrum eſt, meritò tibi debebatur. Præterea ſæpius ſollicitantem Lyrica noſtra,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

ſtra, & ipſum quoque Poëtam convenio. quin & Parentem tuum UDALRICUM, *iiſdem ſtudiis delectari ſcio. ut adeo propoſiti mei ratio in utroque firmata conſiſtat. Vale.*

I.

Excitari ſe ſuaviſſime, ad Delicias Veris ſcribendas: in quibus crebram B. MARIÆ Virg. *mentionem facere moneatur.*

PAULLATIM emoveor Venuſino languidus antro;
Sulmoque pellit Aufidum.
Tempus erit, quo te, NASONEM, FLACCE, relicto
Cultris ſed exſectum ſequar.
Ille ego, quis credat, ſolitus contingere monteis
Infra relictis vallibus;
Deſiſtam Clario nubeis proſcindere curru;
Humi paratus repere
Cum violis, interque rubos, humileiſque myricas
Verſum *tepentem* fundere.
VER placet. iſta meis arridet luſibus ætas;
Imberbis annus, & puer,
Aut ſummùm juvenis: qui de Cerealibus arvis
Primam ferat lanuginem.
Diſpliceat: mento ſi ſtet jam ſpica virilis,
Genaſque fuſcet IUNIUS.
Prima Dies à matre rubens, lætiſſima noſtri
In ſigna VERIS incidit.
VERE novo, NATURA ſuis educta tenebris,
Et evoluta faſciis;
Sic oculos, ſic ora, manus, ab origine Mundi
Ferebat in Pomario:

Quo

Quo ſtetit, & pubem foliis circumdedit arbos,
Et mota ventis annuit.
Nunc quoque non aliter Zephyrus volitabit in hoſtis,
Florumque Mecænas erit.
Ille meus ſubitò campos depinget Apelles,
Vivi coloris artifex.
Conjugis in gremium demittet Jupiter imbrem,
Ut nata creſcant gramina:
Gramina Telluris prævelatura pudorem,
Nuptas ut olim flammea.
Flente tamen cœlo, noſter ridebit agellus,
His irrigatus lacrymis.
Perque virens florebit avis Junonia pratum,
Millena pandens ſidera,
Mille venuſtates: ceu culta tapetia Belgæ
Acu Phrygum diſtinxerint.
Mox thymbræ calices, & odora toreumata nardi,
Calthæque pandent luteæ.
Pallebitque ſalix: &, cum colocaſia ſurgent,
Paſtor lavabit vellera.
Quid ſi diſparibus Mopſum certare cicutis
Argutus Ægon provocet!
Audiet hoc corylos inter projectus Iolas,
Et accinet Palæmoni.
Reîce, aliquis dicet, primis à ſolibus hædos.
Nocent Calendæ Martiæ.
Tityre, coge pecus: pueri ſubmittite tauros.
Opaca captent frigora.
Jamque etiam nemorum levis & plebs garrula prodit,
Facunda ruris natio.
Tota avibus dormitur hiems. VER, *ſurgite*, clamat:
Narrate veſtra ſomnia.
Evigilant, noctiſque ſuæ ſimulacra loquuntur,
Cantuque rumpunt nubila.
Heic mihi ſelectas mens eſt arceſſere plumas,
Et augurari Delphicè.
Deſcribam volucrum certarum prœlia, cunas,
Moreis, Poëſin, Patriam.

Nec

Nec ſe præteritam famoſa queretur AËDON,
    Nec ALAUDA ſola vicerit.
Interea liquido ſtillabit mellifer auro
    Quercûs hiantis alveus.
Interea fontes argentum mobile trudent,
    Urnis aquas vehentibus.
Forſitan & pictis hedera confligere lembis
    Lacus reductus ſuadeat.
Itur in Euripum: propellit Nerea Bacchus:
    Vinum Nerones navigant.
Roma ſtat ad ripas: & mergi dulcibus undis
    Spectator optat invidus.
Juverit & piſceis humenti cogere lino,
    Setave captos ducere.
Adſpice Nereïdum choreas, vaga ſidera ponti,
    Nexaſque Nympharum manus.
Adſpice converſò lætentur ut omnia cœlo!
    Anguis ſenex renaſcitur;
Luctaturque aries, Phryxeaque cornua miſcet:
    Fecunda balant paſcua.
Cœruleo rutilum ſcintillat in æthere viſcum,
    Igniſque ſaltat capripes.
Delectat cauſſas harum quoque noſcere rerum,
    Amœnitatis gratiâ.
Dicam, quid faciant noſtro procul axe remoti,
    Dum Ver meat Germanicum.
Annulus ADRIACAM Venetus ſibi NEPTUNINEN
    Deſpondet immiſſus mari.
Plena Senatorum fertur Prætoria Puppis,
    Vectans coronatum DUCEM.
Sirenes cantant: Phorci chorus omnis aquoſis
    Bene apprecatur nuptiis.
Altera Maſſagetis, Perſis eſt altera cura
    Diverſa propter ſidera.
Juverit inter ſe contraria jungere regna,
    Ut quodque ritu diſcrepat.
Pòſt & captivi cædes referetur *Aprilis*.
    VER iſte Menſis inquinat:

Gran-

Grandineque & nivibus, campo bellatur aperto;
Namque inde ſumſit nomina.
Sternitur à MAIO tandem florentibus armis,
Et victus herbam porrigit.
Addimus hiſtorias hilari ſermone natanteis,
Multoque conditas joco.
Addimus & triſteis: Tragico quas FRANCIA nixu,
Feraxque gignit ANGLIA.
Si non dura pati, tamen eſt audire libido:
Teſtis canora THEBAIS.
Gaudia ni verno modereris tempore, ſoccum
Pellit cothurnus ludicrum.
Talibus inventis quæ non PIMPLEIDES, addam?
Silenda nunc jucundiùs:
Donec in apricum cum fœnore proferat ætas
Secreta clauſi pectoris.
Eſt locus, inſignem quà præfluit ISARA lucum,
Fagis & alno conſitus.
Heic habitat jam nota mihi reſonabilis ECHO,
Foraſque prodit obvia.
Et quia Cumanæ reſpondet more SIBYLLAE,
Vatis furore percita.
TROS ero: de noſtro ſcitabor plurima bello:
Palmis, olivâ, laureis.
Quæque referre mora eſt, fuerit ſcripſiſſe, voluptas;
Legiſſe, titillet jecur.
O ego, cum niveas ad frena citabo columbas,
Nido latenteis Theſpio:
Diffundam teretes *elegos*, perque omnia vectus
Spargam manu plantaria.
Tunc nemo incuſet: nimia eſt audacia Vatis:
Sublimè ſemper fulgurat;
Nequitiiſque ſcatens Lectorem tardat obeſum,
Quòd ſenſa mentis duplicet.
Scimus & è facili deducere carmina torno,
Venuſta neglectu ſuo.
Nota quoque eſt nobis Peligni glarea ruris,
Doctique luſus Exſulis.

Inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Interdum numeris OvidI miſcebo Tibullum,
Umbrique venam maſculi:
Sic tamen, ut caſtos fecundi pectoris igneis
Damnare nullus audeat.
Nam cur diſſimulo? VIRGO, tua vita canetur:
Tuos amores inſeram.
Sic tacitis moneor ſtimulis: ſic omine viſa
AURORA nuper impulit.
Ver ſine te Bruma eſt; Majuſque exſanguis, & ater,
Calvuſque Februarius.
Areſcunt ſine te fontes: ſunt lilia nigra,
Roſa cadaver putidum.
At ſimul extuleris cinctum caput igne comanti,
Et arva viſu ſtrinxeris:
Tunc iterum manant fontes, tunc lilia candent,
Roſæque vivunt mortuæ.
Optatum non una facit, quod ſcimus, hirundo,
Non una VER ciconia:
Una COLUMBA tamen nobis audita, beati
Dies reducit Seculi.
Quare adeo jam nunc, ô Noſtra, aſſueſce vocari:
Si dulce quidquam riſimus.
Ut celebrem violas, nec tu ſcribaris in illis!
Hiems priùs protruſerit.
Non recoquam Verum cramben, quoſq; unguine tinxit
Pelaſga floreis Fabula:
Imbutos humore recèns, quos myſtica veſtis
Comtos inaurat, offeram,
Qualiter OETINGAE *Tiliam* deſcripſimus olim,
Plureis ſeremus arbores:
Cortice quæ viſæ nihil incluſiſſe profano,
Sacrum propinent *nucleum*.
Plurima ſub gripho latitans mea MUSA loquetur,
Doctas ut aureis excitet.
Divinas SALOMONIS Hymen, deſponſaque MEMPHIS
Formoſa jungent oſcula.
Quædam non niſi nos ſoli perſtricta ſciemus,
Umbroſa juxta flumina.

Propo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Propoſito Chloris, ſurgentemque AUSTER in hortum
Venire juſſus ſerviet.
Serviet & Tethys, & candida ſerta Napææ
Flavo ferentes vertice.
O quoties *Aura*, *Aura*, nihil niſi nomen habebit.
Tu rem, decuſque Nominis.
Altera non meliùs vireis reficitque, fovetque,
Æſtumque cordis temperat.

II.

Delectari ſe lectione vitæ B. JACOPONI.

ODE.

TRiſtis nænia funerum,
Vanæ cum gemitu cedite lacrymæ.
Me virtutis iter docent
Intermiſta jocis Gaudia mutuis.
Me cœlo lepor inſerit.
Me plus quam rigidi vita PACHOMII,
JACOPONE, trahit tua:
Florens lætitiis mille decentibus.
Sancto diceris omnia
Riſu perdomuiſſe; egregia quidem
Dementis ſpecie viri.
Chaldæoſque magos, & Salomoniam
Tranſgreſſus ſapientiam.
Curarum vacuus, plenior ætheris,
Non urbis, neque dolii;
Sed Mundi fueras publicus Incola.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

III.

METANOEA AUCTORIS,

Ingreſſi Suazenſem argenti-fodinam in Tyroli, quam cum

FLAVIO LEONE & SABINO FUSCO

perreptaverat.

ODE.

Per continuam Allegoriam explicantur pravæ Societatis pericula; Hominis in profundum vitiorum demerſi infelix ſtatus: ejuſdemque ope pœnitentiæ extracti, & luci gratiæ reſtituti, feliciſſima conditio.

ENTHUSIAMUS.

O Nos ſceleſtos! vidimus Æacum;
Auſi ſilentum letiferas domos,
Et antra præcluſaſque vivis
Eumenidum latebras ſubire.
Quis hunc furorem mentibus, heu nefas!
Injecit? umbris plenus adhuc, jubar
Commune Solis ſeu paveſco,
Seu fugio. fugiamus ipſos
SABINE, nos: qui monſtra ſumus, malis
Pejora viſis. Ætheris, ætheris
Luciſque pertæſi, cavernas
Ingredimur prope funeratum
Sitas Avernum. *Ter* tremuit ſpecus
Obſcura: ſenſi. *Ter* Phlegethon nigras
Succuſſit, audivi, procellas.
Ter Furiæ per inane tædas
Torſere: vidi. nam digitis tribus
Semotus Orco, per mediæ nigra
Telluris erravi ſepulcra,
Non tumulo meliore dignus.
Inſaniæ quem pœnitet ultimæ?
Tantine rupes plena cupidinum,

Carcerque deformis metalli:
Ut Superis procul abdicatis,
Spretoque dulcis lumine Patriæ,
Immergeremus corpora Tænaro!
Et nundinaremur ſeverum ac
Triſte Chaos, tenebraſque Ditis!
Si cuncta fas eſt prodere, nec vetat
Inferna Juno: cedite Virgines
Primùm & Puelli, caſta verſu
Ne vetito temeretur auris.
Ibamus atra lampade præviâ,
Hoc quiſque pejor, quò prior: Allobrox
Ut lapſus è furni camino,
Ore ruit nebulas, & Afro
Colore terret. Quàm temere via
Tentata! nullo jure Proſerpinæ
Arx inſidebatur: nec auro
Virga virens, rutilumve *pomum*,
Quod deſtinata carpitur arbore;
Nec cana priſci Trojugenæ comes
Munivit acceſſum SIBYLLA.
Venimus ad Stygias paludes
Totùm profani. Si malè providos
Repens humaſſet caſus; egentium
Maneis relictos, nullus aſſer
Duxerat umbriferum per amnem.
Quis præpararat munera tetrico
Lethæa Nautæ, ne traheret moram?
Triente porrecto CHARONTI,
Elyſios aditurus hortos.
Itum eſt: velut ſi plana virentium
Per culta camporum, udaque vallium;
Cyprum, Tarentinaſque villas,
Aut Phrygiam peteremus Idam.
Ventum ad CYCOPAS: qui mediam feræ
Partem retecti; cætera turpiùs
Squalore gliſcentes, ligonem
Quàm valido potuere niſu

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Exaſperabant. Verbere mugiit
Incuſſa rupes, perque Acheronticas
Deducta venas noctis inſtru-
menta, cavum minuere montem.
Speres ruinam ſub putrida trabe
Jam-jam minari. Nos, ſilicernium
Triplex, & incurvum, pudore
Depoſito, malè juvit omnem
Mortem experiri: & ſtultitia frui
Tam ſingulari, quam miſerabili.
Juvit laboranteis dolere, &
Funeris anticipare cenſum.
Hinc currus atque hinc triſtè minax, ſimul
Cuniculoſis inſtrepuit viis:
Væ! qui tremores, perque opaca
Terribiles Hypogea motus!
Subjecit Ætnam terror imaginis:
Quum ſubter imas Sicaniæ torum
Molitus arceis, Prædo captam
Flammivomo tulit axe Sponſam.
Eſt Montis ingens in medio ſinu
Spelunca, gyro tortilis, ultimi
Theſaurus horroris; negatus
Semper, & immeritis adiri.
Immanis illic & volucris rota,
Quali nec ima ſede ſub inferûm
Torquetur IXION, inerteis
Verſat aquas, pariterque eodem
Verſatur hauſtu; & languidius mare
In ſtagna ſidens egerit amphoris:
Foſſoris uncum ne refuſo
Diſtineat camarina limo.
Circùm lutoſo margine funditur
Et læve viſcum, & non pedibus liquor
Fidelis inſiſti caducis,
Sæpe gradu metuente falli.
Heic & Kalendis fervere Martiis
Dat æſtuoſos Fama volantium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Globos arenarum, & frementem
Ad puteum genus omne Leti,
Miraſque formas. Huc quoque repſimus,
Lacerta qualis cœrula volvitur
Petræ per anguſtum foramen,
Exuvias poſuiſſe læta.
Quod illa certe non ſine prævio
Fulgore Solis, jam ſenio grave
Vernâ redonantis juventâ
Corpus agit, veterem monenda
Mutare pellem. Nos rabido jecur
Calore plenos, deterior polus;
Nos noctis ingreſſos cubile
Serpere lucifugas adegit
Cujuſque Erinnys. Phœbe vale, vale
Natale ſidus, diximus: abdita
Scrutamur, & numquam Sorori
Viſa tuæ; niſi cùm triformi
Deſcendit aſtro. Quàm bene lividum
Natura triſti difficilis ſitu
Damnavit argentum, & remoti
Occuluit prope limen Orci.
Fruſtra. cupido percita ſæviùs,
Contaminatis eximit unguibus:
Et conflat in maſſam vapores,
Non Erebo ſatianda toto.
Hydrops habendi, plus ſitit æquoris.
Aſſueta lucro plus rabies cupit.
Avarus, in moreis tyranni
Denique degenerat Neronis.
Materna Terræ viſcera ferreo
Rimatur unco. ſaucia malleis
Oſtendit Agrippina ventrem,
Monte ſuper tumuliſque foſſum:
Aurique venas præbet, & intimi
Luſtranda late ſepta cadaveris:
Quæque inſolenteis parricidas
Terrigenas bene condat alvo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Quis non ſub atrum palluit oſtium ?
Conteſtor Umbras (quos alios enim ?)
Ad turpis adſpectum profundi
Penè metu glaciatus hæſi.
Quò dum malignam conjicio facem :
Aut monſtra vidi territus, aut modis
Vidiſſe mirandis putavi.
Quamquam etiam meminiſſe durum;
Larvæ volabat penna tricorporis ;
Malumque Lernæ, bellua multiplex,
Saxumque, & æterni macellum
Vulturis, & patuli recedens
Auctumnus oris. quin etiam colus
Deprenſa Parcarum, effugientium
Sarmenta tædæ. Fata vidi
Quæque ſuis reſidere ſcamnis.
Dehiſce tellus. Qui neque Theſei,
Nec fœderati Pirithoo ſumus,
Nec matris Alcmenæ labores:
Non tamen inferiore faſtu
Plutonis auſi clauſtra revellere,
Ferale MORTIS polluimus Sacrum.
Non ipſe Grajorum ſepultas
In barathrum properante curru
Auriga genteis nequiùs impulit.
Atqui cadebat quadrupedantibus
Invitus abſorptis. Deorum
Augur erat; foliumque olivæ,
Vittamque ſignum pacis, ad inferos
Secum ferebat. Sic etiam reum
Minoſque caſtigavit ore, &
Increpuit minimus Tonantum.
Qua fronte nos inſpeximus avii
Rimoſa mundi ? mens ſibi diſſona
Et atra flaveſcenſque bilis,
Et rapidum ſtimulavit œſtrum.
Pergemus ergo ? ſed refero pedem,
Vel ſic nocentem. Quo facinus ſacer

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Piabo ritu? Me prius quam
Hinc Superum repetantur auræ
Purgabo vivo flumine: februis
Incumbo riparum. OENE Pater, cui
Erecta curvatur Tyrolis:
Ablue Prodigii figuram;
Qualem nec Iô Niliacas ſuper
Extendit undas. ablue: ſic tibi
Pons nullus obluctetur umquam;
Perque tuas celebreris urbeis
Majore cornu. Tu quoque Noctuæ
Ignoſce TITAN, alme Dieſpiter.
Ignoſce ſecretum frementi
Tartareum. tua tela ſprevi,
Arcumque, & igneis, & nitidum caput
Diemque fugi. ſed fateor nefas,
Et amne lavi. reddar Orbi
O decus: & merear videre,
Si non videri. Plaudite: ſentio
Fecunda pulcri ſemina luminis.
Vivum revertenti ſerenum
Irradiat: Novus ecce PHOENIX
Procedo terris: congeries nigro
Defluxit ore, & ſiderei tremunt
Convexa Mundi. dulcè rurſus
Splendeo, coniferiſque frontem
Circumdor aſtris. Nil cinèris manet
Olentis Orcum. Verior Orpheus,
Poſt funus in lucem renaſcor,
Tænario redivivus antro.
Nunc lætiorem da Citharam puer.
Canenda ſunt *Soteria*. Spargere &
Thymbram memento. Qualè ſpirat,
Quàm redolens bene mulcet aura!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

IV.

AD LAZARUM SPIEGLERUM,

cum eum Stoicâ Diſciplinâ initiandum ſuſciperet.

STOICI CHRISTIANI

PRIMA LECTIO.

ODE.

SI manibus pedibuſque, & mente, & lumine captus,
Naſcatur cum cornibus infans:
Horret eum Genitrix, trepidus Pater ora retorquet,
Turpe vocat vicinia monſtrum.
Atqui nil aliud, SPIEGLERE, videbis in Orbe,
Monſtrorum ſcelerumque feraci.
Nil vitiorum expers: fœtent majoribus illa,
Quæ voto majore petuntur.
Cæca VENUS, cæca eſt FORTUNA, OCCASIO calva,
Et luſca eſt & lippa VOLUPTAS.
Fronte LIBIDO caret, cerebroque LICENTIA vitæ,
Et præceps AUDACIA naſo.
GLORIA ſtrumoſa eſt: facies inflatur HONORIS,
Obſceni tibicinis inſtar.
Centum aures FAMAE, ſurdiſque nec unica FATIS.
Quale chaos, quot, LAZARE, monſtra!
Et tamen in medio MORTALIS obambulat horum.
Non aliis ſe lubrica verſat
VITA rotis: nam quæ vicibus metuit, fugit, odit,
Sperat, amat, deſiderat, *hæc ſunt.*

V.

ENTHUSIASMUS,

quem paſſus eſt AUCTOR, *cum* GENESIN, *lib.* I. *Pentateuchi Moſaici, pervolutaret.*

ODE.

MENTIS citatus quò rapit impetus?
Ingens in ævum mergimur abditi:
Et mentis adſpectum ſub unum
Tota retro cecidere ſecla.
Vivunt in Horto virgine Virgines,
Uterque conjux. Ille tamen ſuam
Non legit uxorem: nec iſta,
Nupta ſui precibus Mariti,
Parentis ullo prodiit è ſinu:
Sed nuda primo corpora vinculo
NATURA, primævuſque Mundi
Sanxit AMOR. DEUS ipſe coſtam
Erexit in tædam: & bene prodigus
Supplere dotem, tradidit omnia
Habere SPONSO. per vireta
Ingenui micuere fontes.
Parere natas ſilva tulit feras:
Pomona riſit. quà Zephyris tepens
Fragravit Aër, plauſit ales.
Cum JUVENIS ſociatus EVAE
Genus ſagaci nomine ſcriberet,
Ambo beati: ni vetito gula
Penderet à ramo. *biformem*
Alloquiis maleſana VIRGO
Dignaris *Anguem?* relliquias nocens
Et VIR momordit. Protinus ilia
Rumpuntur, & convulſa leto
Viſcera ſuccutiente latrant.
Exi: quid almum polluitur nemus?
Prædator exi. ſiccine floridum

Prandere Numen auſa ventris
Ambitio? tamen hæret hamus
Infixus ori. pellitur Helluo, &
Sudoris undam cum gemitu bibit:
Unaque convivam jugalem
Luctificæ comitantur Umbræ:
Curæque, Spinæque, & Sitis, & Fames
Sulcata frontem, & parturientium
Fœdi tumultus, & frequentes
Sandapilis ſtrepuiſſe Morbi.
Inuſitatum quod video nefas?
Fraterne Fratrem! frange ſparum pede,
Occidit. heu! crudele primi
Heu! facinus grave parricidæ!
CAINE, toto funditus exſulas.
Proſcripte Mundo. quo fugis? emicat
Colonus in ſilvas; & horret
Sanguinea pavefactus umbrâ.
Mox & reverti pejor, & arduis
Metator agros cingere mœnibus,
Urbemque moliri nocentum.
Sævit amor, Furiæque totam
In cæca fundunt corda libidinem.
Natura probris plena nocentium,
Immugit inſano dolori, &
Quos genuit, peritura damnat.
Proh irruentum quis fragor imbrium?
Aër procellis ſtridet, & agmina
Ruunt aquarum ſumma fluctu
Saxa ſuper, populoſque & arceis.
Ergo *una* totum *Navis* & unica
Anguſtat Orbem! cætera concidunt,
Unoque volvuntur profundo.
Incolumis ſubit ARCA portum:
Jam jamque monteis Armeniæ tenet.
Subſidit æquor: littora perſonant
Undiſque ventiſque, & virenti
Arva die rediviva lucent.

Arc:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Arcu decoro pendula, *creſcite*,
Exclamat IRIS. Continuò ſata
Campo recreverunt, & almis
Seminibus tepuere glebæ.
Evan! NOEMUS palmitis aureas
Diſtinxit uvas. parciùs utere
O IANE dormiture muſto;
Ne noceat reperiſſe vitem.
Cur aſtra ſudant? ſternite culmina
HEBRI nepotes. ſurget in æthera
Famoſa *Turris!* rupta moles
Artificum pereunte faſtu.
Ter ſi reſurgat. Turris ahenea
Minata cœlo: ter pereat DEO
Exciſa confundente linguas:
Ter lapides paleaſque fruſtra
Calcemque poſcant. Rurſus in ebrias
Vindicta menteis ſupplicium vomit.
Carbone laſcivo ſatiſcunt
In cinerem SODOMAEA Tempe.
Cerno rigentem ſub Statuam ſalis
Fumare vaſto PENTAPOLIN rogo.
Bitumen in Civeis GOMORRHAE
Cum piceo glomeratur imbri.
At tu tenello parce PATER, PATER,
Ah! parce NATO. vepribus *Hoſtia*
Implexa, ſtratam tingat aram.
Hircus ibi ſubit immolandus.
Altùm vaporat ſacrificus cinis.
Corona ſtellarum innumerabilis,
Apparet inſignire magnam
(ABRAMIDAS) ſtudioſa gentem.
JACOBE, lævis naſcere: naſcere
Heres piloſi fratris, &, ô, tuæ
Adhuc in ipſo ventre Matris
Mira priùs gere bella victor,
Quàm miles: olim fortior et DEO
Luctante tecum. Diſce modeſtiùs

Fuella connivere: DINA
Hemoridæ male viſit urbem.
Egreſſa Virgo, non rediit domum
Virgo, Parenti jam ſimilis ſuæ.
Eheu! SICHIMITAE cruento
Intereunt SIMEONIS enſe.
Fatale ſemper luxuriæ malum
Stirges pudendas accumulat toro:
Vix tot reponens nata cunis
Pignora, quot tumulat ſepulcris.
RACHELIS, iô, fertilis eſt ager,
Prolemque debet mandragoris LIAE.
JOSEPHE, tu Patris voluptas
I puer, invidiæ tropæum:
Servus Canopo venderis. æſtuant
Nutus heriles, & juvenem foco
Amoris admotum, laceſſit
Forma tremens meliore vultu,
Inceſta ſævi PUTIPHARIS lupa.
Hæc innocenti vincula! pallium
Luctator in Mœchæ nefandis
Effugiens manibus reliquit.
Emerget autem carcere. jam boves
Regem fatigant: jam Cerealibus
Accuſat in ſulcis Oſyrin
Longa fames. ſterileis in annos
Captivus augur dicere mittitur
Portenta rerum. Spargite ſemina:
Fecunda campos ruris æſtas
Frugiferis onerabit annis;
Fluetque totus Nilus in horrea.
Ad ſceptra ventum. protinus annulo
Donaris, & conchyliato
Per populos amiciris auro,
A Rege Princeps. Nunc tibi ſupplices
UNDENA ſternunt ASTRA comas, ſacrum
Confeſſa ſomnum. nunc ab uno
MERGITE jura petunt *Ariſtæ*;

Flexo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Flexoque culmo & poplite cernui
Nutant manipli. Fratris ADOREAM,
Primas in Ægypto tenentem,
Spica colit Chananæa fratrum.
Quid hoc? adorat SOL genitum jubar.
Ah! ipſe canos prociduus Senex
Adſternit. in te, BENIAMINE,
Quinque ſtolæ Tyrii coloris
Labuntur. exin lætior accubat
Conviva menſæ. ſepoſito metu,
Certantur alternis honores
Obſequiis, epulumque ſancto
Singultit æſtu. vina fluunt ſcyphis,
Venis amores; gaudia palpitant,
Fletuſque rident, & decentes
Lætitiæ lacrymantur. *Evan!*

VI.

AD LAZARUM SPIEGLERUM,

Kalendis Aprilibus M DC XLII.

STOICI CHRISTIANI
SECUNDA LECTIO.

De riſu Democriti.

ODE.

NEc ſumus ex *Cynicis*, nec *Sectam* admittimus illam,
Quæ ſuadet obrigeſcere.
Mitior eſt nobis Virtus, ô mentis apertæ
SPIEGLERE, cordis vitrei.
Juverit alterius Sectæ quoque noſcere moreis:
Nam lævigat ſcientia.
Explico DEMOCRITUM. placitis jucundus adhære:
Omitte, ſi quæ diſplicent.
Hic SOPHUS, ut fama eſt, ſemper ridere ſolebat:
Nec dormiens ceſſaverat.

Saltem hilaris ſomni ſpeciem , comto ore renidens,
Fingebat inſtar ſimiæ.
DEMOCRITI vitam qua tu latuiſſe putabis
In parte vaſti corporis ?
Pulmo ſacer , non Hepar erat , non molle Cerebrum,
Non olla , Pectus , ſanguinis.
Is ſi vel minimùm ſtrictus mucrone fuiſſet,
Aut tabe læſus primulâ :
Continuò tota cecidiſſet mole , velut bos
Quaſſus ſecuri ſinciput.
Scimus ſolerter NATURAM à corde profectas
Formare Fœtûs lineas :
Verùm heic crediderim curam intendiſſe *Lieni* :
Tum deinde duxe cætera.

VII.

ENTHUSIASMUS.

IN COEMETERIO, ANNO M. DC. XLII,

ipſo die anniverſario Fidelium Defunctorum.

ODE.

IAmne ergo , MANES , veſtra breviſſimæ
Spectata vitæ fabula tranſiit !
Ex ære conflato ſupellex,
Hæc Pheretri brevis arca reſtat.
At nemo de tot millibus alteri
Antiqua turbat jura , vel invidet.
Hîc hoſtis acclinatur hoſti :
Hîc geminos capit Urna fratres :
Hîc Virgo ſcortis jungitur : & procus
Juxta maritum dormit adulteræ.
Hîc ſanctus incumbit ſceleſto,
Hîc Vitium jacet atque Virtus.
Arcana dudum triſtia comprimi
Luctantur in me : nec penitus ſibi
Audet fateri , quæ volutat
Mens nimio titubata fluctu.

Morare VATES, nec ſtimulum DEI,
Ignave, ſentis? projice pectore
Immane, famoſumque VERUM,
Dum graderis vagus inter oſſa.
Hîc Cœlum & Orcus, continuis tamen
Hærent acervis. hîc Superûm choro
Inferna miſcetur caterva.
Hîc paleæ latitant inanes,
Dum plena ſpicis grana ferentibus:
Interque ſpinas lilia conſitas
Ignota creſcunt. Hîc beatas
Inter oves ſtabulantur hœdi.
O lucis Ædes, dulce Sacrarium!
Electa CHRISTI meſſis in horreo!
O Terra lacte & melle manans!
Aula ſpei, thalamus quietis!
O noctis antrum, quo latet abditæ
Theſaurus iræ! feta nocentium
Spelunca latronum, ſecundæ
Suppliciis habitanda mortis!
O plena puris Area gaudiis!
Umbroſa quam nec ſilva, nec igneo
Surgens ab electro lacunar;
Nec Zephyri ſuperent vireta.
Ah! verioris triſtitiæ Domus:
Ægea qua ſit mitior inſula;
Quæque in tenebris merſa ſqualet
Trans rigidas Aquilonis oras.
O ſeminantis funera GRATIAE!
O ſeminatæ corpora GLORIAE!
Vos Solis exſtinctura lumen,
Aſtrigeros ferietis orbeis.
Ah! non ſecundo credita ſidere
Siccis Averni ſemina ſaltibus.
Hoc illa ſurrectura Cadmi
Dente ſeges, tubicenque juxta.
Florete porrò *vaticinantia*
Ver dulce flavis *Oſſa* coloribus.

Nam *germinabunt inſtar herbæ*
Circùm ederas, viridemque buxum.
Jacete porrò tetra cadaverum
Implenda diris Oſſa doloribus:
Totoque Vindictæ lacerto in
Sulphureum jacienda ſtagnum.
Sed nempe tantùm ludimus, & jocis
Criſpamus auras, non ſine ſibilo.
At non inanis ſigna famæ
Ambiguis ceciniſſe verbis
Dicemur olim: quum fragor ætheris
Impellet axes turbine flammeo;
Et fractus illabetur Orbis
Impavidum ſuper & paventem.
Rumpenda nullo carmine ſurditas
Rumpetur illâ Nubivagi tubâ;
Qua per ſepulcrorum cavernas,
Ceu tonitru quatiente terram,
Vox audietur: SURGITE MORTUI.
Repentè ſurgent. Caſtus ad aurea
Hinc *Agnus* exſultabit aſtra:
Inde ſalax trepidabit *Hircus*,
Sidente lapſis ſub pedibus ſolo,
Immugientum fulmine nubium
Ad ima ſtratus. Quos amicos
Unus ager, patriæque cæſpes
Molæve tectum; quos placidus ſopor
Jungebat unà; VITA noviſſimis
Disjunget actis. Quis gelatos
Inſolitus quatit horror artus!
An jam moventur? ſiſtite Pallidi:
Tantiſper Umbræ ſiſtite: buccina
Donec ſupremæ clangat horæ.
Illa ſuo latet in metallo
Procuſa nondum: jam tamen emicat.
EXTREMA Mundo purpureo DIES
Implumis in nido Sororum
Stertit adhuc, ſed et iſta pennas

Jam

Jam jamque librat. *Siſtite Mortui.*
Ter *de profundis*, quod bene ſoſpitet,
Suſpiro fibris, luce caſſos
Davidicâ miſeratus Odâ.
Ter luſtro vivo fonte: ter alteram
Lucem precatus clamo: *Quieſcite.*
FORTUNA MORTALIS PERACTA EST
VESTRA: MANET PERAGENDA NOBIS.

VIII.
AD PARTHENIAM JUVENTUTEM GYMNASIORUM SOCIETATIS JESU.

De fortunatis Inſulis.

ODE.

Eſſe poteſt iſto quidquam funeſtius ORBE?
Ubi nulla pax eſt, nulla ſperatur ſalus.
Pulſa loco VIRTUS. immania crimina viſu
Æquant giganteis, & Columnas Herculis.
Quot lentum fabro ferrum tundente favillæ,
Tot ad aſtra voces ſpreta perjuræ volant.
Plurima NATURAE peragi contraria cernas.
Nutus loquuntur, ora nequiùs ſilent:
Auritique pedes ad furta ſonantia currunt,
Videntque iniquum munus oculatæ manus.
Omnia plena dolis. minimus, Carthagine major,
Quam fraudulentus inquinavit Hannibal.
Summa petens cogi vult Ambitus; adque cupitæ
Opima prædæ fingit invitus trahi.
Non habitæ reddunt vilem, vel acerbiùs ruunt;
Habitæque tantò certiùs nocent Opes.
Seſe ipſum perimit Luxus; calloſa Voluptas
Dedidicit uſum ſentiendi ganeam.
In pelago perdix, gallinaque poſcitur Afra:
Nec tum Lucrini ſquama juverit lacus.
Faſtiditur avis, ſimul ad ſilveſtria ventum:
Siccis petuntur putria terris oſtrea.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Mos eſt naufragiis menſas condire guloſas;
Sapitque piſcis morte piſcantis ſacer:
Aut quem venator percuſſus in inguine ſtravit,
Suaque clade fecit aprum nobilem.
Interea ſubiti corrumpunt gaudia luctus.
Epulis in ipſis larva terret hoſpitem.
Splendida cum tacitum diffundit gemma venenum,
Conviva tremulum ponè ſubmittit caput.
Blanda ſoporatis inſerpunt frigora membris.
Rumpente tenta Maſſico præcordia.
Heu! quid agas hoc in regno captiva JUVENTUS,
Periculoſis aleæ ſub jactibus?
Oceani glaciem, aut Colchos præſtaret adire.
O quem BEATAE fama VITAE provocat.
Me duce ſolve ratem. dives patet INSULA rerum,
Pereuntis extra lubricas MUNDI vias.
Hiſpida prima quidem facies, præcinctaque ſaxis
Horrore nautas pulſat, & clauſtrum objicit;
Pura tamen ſemper formoſi Veris imago
Affulget intus, parque primo ſeculo.
Non illuc *Curis* fas eſt mordacibus ire:
Pedem nec intro ferre *Luxus* audeat.
Error abeſt, ſciſſoque gemens velamine *Luctus*.
Furorque præceps, & laborantes *Metus*.
Quæque coli templis furioſa *Pecunia* poſcit,
Falſoſque matris mentiens vultus *Honor*.
Hîc habitat VIRTUS extrema utrinque reducta.
PUDORque cautus, & comes MODESTIA.
TEMPERIES animi molli procumbit in ulva,
Placiduſque apertis RISUS è conchis hiat.
Lucida manſuro ſubſiſtunt GAUDIA vultu,
Alis reciſis avolare neſcia:
Et ſecura QUIES, & non damnoſa VOLUPTAS,
Patienſque nodi LEX, & alba VERITAS.
Omnia pace virent, ſertumque ligantur ad unum;
Ipſique ſeſe mutuò colles amant.
Et quando ſilvæ certo ſibi fœdere nutant,
Secum viciſſim colloquuntur arbores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Nil proprium. patet omnis ager, ſine nomine cæſpes,
Commune pulcrum: prata ſternuntur toris:
Vitæ vena micat: liquido pede flumina currunt:
Inuſitatus imbuit nareis odor.
Ut neque pampinei certent vineta Timoli,
Fecunda nec quæ gleba Phæacum fragrat.
Cætera non deſunt. JUVENES, incumbite remis:
Animoſa magno plena ſi mens eſt viro.
Sed juremus in hoc: velis ſimul hauſimus Auſtros,
Iiſdem per æquor ut redire ſit nefas.
Neu quiſquam timido muliebriter ore queratur,
Gemituque ventos augeat, lacrymis mare,
Ibitis? an retro ventis cunctantibus acti
Perdetis ævum, juſque felicis Loci!

IX.

AD HIERONYMUM MARSUM.

LAETA PAUPERTAS.

ODE.

Mitte ſepoſtos cumulare cenſus,
MARSE. tormentis animos fatigat,
Non levat morbo poſitus vetuſta
Nummus in arca.
Fervidi raptis inhiare lucris,
Divites quanto miſeri labore
Eſſe deſudant! poterant minore
Eſſe beati.
Ille theſauros habet affluenteis.
Cujus in cœlo jacet omne votum.
Quod ſatis, multum eſt: minimum, quod ultra
Urget habere.
Non eget magno ſitis apparatu.
Lenè nativis cadit unda tophis:
Dulcè muſcoſo ſapit hauſta rivo, &
Frigerat artus.

Dulce ſudanti Cereale fruſtum
Panis; aut ſimplex olus & legumen:
Quod fames, nullo prohibente, ſupra
Cœnat aratrum.

X.
JEHU REX ISRAËLIS.
ENTHUSIASMUS,
quem paſſus eſt Auctor, cum ſeveram læſi Numinis vindictam, in repurganda Germania expenderet.
ODE.

ONus, quod olim fertur ab æthere
Minacis hauſtu NUMINIS ebrius
Portaſſe THESBITES; & omnem
Fulgure præmonuiſſe Regem;
ONUS tremendum, atque illacrumabile,
Cogente Phœbo non humilis furor
Urget redordiri. Cavernam
Perge, JEHU, reſerare Fatis.
Exite, clama, monſtra patentibus
Exite portis. incute carcerem.
Conferta quaſſatis malorum
Agmina cardinibus; ſiniſtræ
Aves, & oſtro ſplendida Servitus,
Mucroque tectis inſidiis biceps:
Laborque, Letumque, & trabali
Bella ruant metuenda telo.
Quò ſpiſſa nubes fetaque grandinis?
Cui pallet horror? quem NEMESIS petes?
Miſtura genteis, an ſecundam
Exitio SODOMAM datura?
Ac ſi frementum viſcera montium,
Diuque clauſas Æoliæ fores

Juno-

Junonis acceſſu relaxet
Hippotades, precio puellæ:
Vix rupe mota proruit ocius
Ventoſa late Nubigenûm cohors;
Euruſque, Cauruſque, & procellis
Colla madens pluvialis Auſter.
In IEZRAELEM tenditur: huc movet
Sævire juſſus. VINEA criminum
Ferax, & inſontis nocenti
Supplicio dabit emta pœnas.
Quot ſaxa jecit deterior viro
Pejore conjux; ora tot impleat
Diſcerpta. prodi nunc *caninum*
Cote FAMES acuenda *dentem*.
Prodite Peſtes, quas Erebus nigris
Effudit antris. Tota Domus ſolo
Sternatur: ut nec furca reſtet,
Nec matulæ. per & enſis omneis
Lumbos ACHABI, ſollicitam frequens
Veſtiget in cædem; occidat impii
ortuna conclamata Regis.
Cur maculat genus iſtud auras?
Tu ſceptra NAMSI PROGENIES cape.
Ad arma, miles. Jamque oleo madet
Inunctus Heros. jam, *triumphe*,
Jam litui ſonuere feſtas,
Rex vive, voceis. protinus elevant
Subſtrata magnum pallia Vindicem.
Adſigna conjurat Volonum
Seditio, ſaliuntque Diræ.
Promittit ultrix turma ferociam
Feſtina duci, quò jubet impetus.
Stragis ſecuturæ Voluptas
Torva placet, feritaſque Voti.
Sic arva MAVORS Thermodoontia
Timendus intrat. Lux clypei rubet;
Singultienti mota flammâ
Arma crepant; gladiiſque centum

Criſtata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Criſtata caſſis, nubila ſuccutit.
Ipſe in quadriga: quam Pavor & comes
Bellona ducit. multa ſtridet
Umbra retro, ſequiturque currum.
Salve Miniſter JUSTITIAE, DEO
Dilecte ſalve. Non vacat impigro
Audire tardantem: ſed alto
Præcipitem juvat ire greſſu.
Vadit videri fervidus: at modò
Frenis caballus vim moderantibus
Abſiſtit in gyros, & agrum.
Scribit ovans: modò concitatus
Evolvit indignantem animam, neque
Paret lupatis. Cur vigil excubas
In turre Cuſtos, & per umbram
Æriſonum ſpecularis agmen?
Miſcetur aſtu nobilis ac dolo
Inſtincta Virtus, & patiens tegi.
Bis miſſus Explorator, auxit,
(Sic Superi ſtatuere) vireis,
Denſum coactus ponè ſequi globum.
Qualis vel Iſter, vel Padus amnium
Late tyrannus; cùm liquenti
Auctior ex nivibus tributo,
Suumque currens ſolvere Nereo
Et ipſe: jam nec ponte, nec inſulâ,
Silviſque, ſeptiſque, aut coloni
Aggeribus cohibetur ullis:
Si fortè eodem tramite devia
Currunt minorum Flumina gentium:
Major minorem ſorbet undam,
Oceanum ſubitura Patrem.
Sed jam tumultum congeminat fragor.
Hinc Fata diſcas. Ducitur inſcius
JORAMUS ad metam ſagittæ,
(Tende JEHU) propiorque Leto;
Quò vos? amici, quærit, an hoſtici?
Crudelè ridens alter & aſperum:

Invisa Stirps de pace! tandem
Sidoniæ Catulum *leænæ*
Deprendo, tandem! Dixit, & alitem
Emiſit arcu. Canna volatilis
Cœleſte mandatum ſecuta, in
Pectus iit, penituſque totum
Recluſit ictu. Sternitur. heu! jaces
JORAME: vili ne tumulo quidem
Permiſſus inferri, vel Urnæ.
Dirus ager, Patriæque furto
Fœdatus uvæ, depoſuit feris
Venale funus. Nunc fruere, & ſacrum
Complexus Auctumnum NABOTHI,
Illicita ſatiare glebâ.
Tecum (quis horti falleret oſtio
Divos ſequenteis?) cæſus OCHOSIAS,
Ferro Gaverini peracto
Procubuit ſuper arva clivi.
Vindicta, ritu gurgitis, & furit,
Et creſcit. eheu! ſtragibus additur
Probrum. renidentem feremus,
Quæ Cyprio lavit ora ſucco?
Quænam iſta valvis proſpicit, aureum
Olens lupanar? Dejice, dejice,
Eunuche, ſcortum. nam quid atro
Luxuriæ maculoſa fumo,
Soleis nocenti polluit halitu?
Delapſa murum Vipera ſanguinis
Conſpergit expreſſi veneno.
Membra natant, ſonipeſque corpus
Infame fixa proterit ungulâ.
O quæ tot olim vendiderat procis
Inceſta nocturnos amores,
(Linge canis fera membra, linge)
Hæc Iezabela eſt! Illane Sidonis
Famoſa terræ! nunc ubi flammei
Coralla labri? pictus oris
Ignis ubi, teretiſque colli

Cryſtallus

Cryſtallus omni ſecta libidine?
Ubi genarum molle roſarium,
Arabſque, Pæſtanuſque naſus?
Crinis ubi, laqueus virorum
Ac rete duplex? iſtanc Sidonis?
Defluxit omnis gratia purpuræ.
Vah Calva deſolata! lapſi
Cætera proſtibuli ſagina,
Rictus moloſsûm pavit hiantium.
JEHU moraris? neu tacitum velis
Frigere ferrum. perge: reſtat
Samariæ jugulanda pubes.
It, qualis olim Marmaricus Leo,
Plenam juvencis qui ſatur otio
Extendit alvum: non capellis
Surgere, compoſitaque cervam
Dignetur ira. dormiat interim,
Vel captet auras. at ſimul improba
Reditque, ſopitumque pulſat
Ingluvies, Numidæve murmur:
Expergefactus rugit, ut avia
Metu reſultent: Ille tamen loci
Oblitus heſternique tauri,
Nunc alio movet arma ſaltu.
Quid laureatæ griphus Epiſtolæ
Minatur Urbi? *Dena, age, ſepties*
Regalis interciſa colli,
In cophino, capita alta nobis
Senator affer. Quàm temere cadit
Detonſa Majo lana bidentium;
Supra pavimentum CORONAE
Verticibus cecidere ſectis.
Bacchare mucro letifer: hactenus
Libata mors eſt. merge ſitim cado
Tonantis, ad fundum bibendo.
Sanguineos vomat Uva rivos
Nabothiano turgida ſanguine.
Mactatur aris, quidquid ATHALIA

Effudit

Effudit in partum. propina
Sideribus, generoſe Ductor,
Muſtum furoris dulce tibi. ſed et
Siccanda fex eſt. non ſuperet pilus,
Non unguis ex turba BALAMI.
Relliquias metat enſis idem,
Qui prima vindex meſſuit ulcera.
Quàm multæ in agris falce virentibus
Secantur urticæ, tepentem
Poſt pluviam; moriuntur uno
In ſenticeto SAMARIDUM popæ.
Tunc non et ipſi, more furentium,
Bis terve ſcindebant, ut olim,
Vulnificis ſua membra cultris.
Truncantur omnes. Emeritum, JEHU,
Reconde ferrum. buccina perſonet:
TIMETE DIVOS, ET MONENTEM
DISCITE JUSTITIAM NEPOTES.

XI.

AD VALERIUM HASTAM,

cum intra ſemeſtre tempus, luctu quinque funerum ſordidatus, Auctoris Poëma de Vanitate Mundi poſceret.

ODE.

AH! VALERI, quò te vertas? nimis atra furenſque
Incubuit FORTUNA dolenti:
Attonitumque inopina caput verſavit in orbem,
Et toto Dea pondere preſſit.
Ah! VALERI, quatuor potuit tibi pignora raptim,
Et ſuper his evolvere Matrem!
Invida debuerat contenta fuiſſe tributo.
Quinque unus tumulaverit annus!
Jam nullus poſthac intranti limina BENNO
Occurret ridere ſalutem.

Nullus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Nullus in amplexum venientis CASTULUS ibit,
Connivens prædulcè Puellus.
Nulla, quod optabas, fruſtra deſponſa GERALDO,
Promittit BASILISSA nepotes.
Occidit indignum Libitinæ BARBARA funus;
Ante roſæ, nunc æmula buxi.
Ultimaque avulſa eſt thalamo cariſſima Conjux,
In cumulum, te abſente, malorum.
Et tanto in luctu medicinam à carmine ſperes,
A tepidis ſolatia Muſis!
Deſine, teque tuis involve doloribus, HASTA,
Et forti preme pectore queſtum.
Hoc fodit, hoc ſævos FORTUNAE ulciſcitur auſus;
Hoc MORTEM necat inſuper ipſam.
Mitto tamen varium teſſellatumque POEMA,
Ne videar ſpreviſſe petentem.
Ingemino: vanum eſt, quidquid Sol ambit uterque
Terra nihil durabile nutrit.
Vita fugax, incerta, brevis: pariterque feruntur
In foſſam cum civibus urbes.
De quovis paullò pòſt exclamare licebit:
TROIANI, PRIAMUSQUE FUERUNT.

XI.

De Chriſtiano Democrito juſtam Oden ſcripturus, queritur ab intractabili Muſa ſe impediri.

N*Am quis nunc homines ſine riſu prætereat?* Quò
THALIA tendis improba?
Sermonem ſi vis ſolito laxare capiſtro;
Lyramque & Odas abjice.
Sin necdum FLACCI pertæſum eſt; cautiùs orna
Verſum decenti pondere.
Qui Lyricis Satyras innectit; floribus unguem,
Agniſque commiſcet lupos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

At tu me toties in atrocia metra negantem
Aculeata ſurripis.
Nam niſi ſæva fores; mellitum Carmen abiret,
Cultaque tornatum manu.
Nunc ſimul articulos chordis admovimus; audes
Et has, & illas rumpere:
Subſtituiſque fides, Paridem quibus uſus AQUINAS
Servum cecidit Cæſaris.
Importuna jocos miſces, violaſque roſaſque
Obducis altis vepribus.
Ut petulans meritò referas ignobile nomen
Amarulentæ CINGARAE.
Parce: tuo VATEM ſuſpectum reddis aceto,
Oneraſque diris laudibus.
Aut non aſper ero poſthac, luſurus eburnâ
HORATII teſtudine:
Aut, ſi nolentem ſtimulare in prœlia pergis,
Truceſque *Iambos* imperas;
Arripiam RASTRUM plectro deforme relicto,
Vitandus occurſantibus.
Quàm bene ſejunges ab equi cervice leonis
Caput, boviſque cornua:
Tam malè confundas duram mollemque Poëſin,
Soteriis funebria.
Nec refert, Satyris quoque felle madentibus olim
Fricuiſſe moreis APPULUM.
Nimirum poſito ſcuticam cum pectine ſumſit,
Suo ferox *Lucilio*.
At tibi continua eſt nugandi & magna libido,
Quamquam increpanti barbitum.
Unum forſan adhuc, quando hæc te cura remordet,
Nec aliter es placabilis,
Unum excuſandus poſſim indulgere furorem
His, MUSA, Bacchanalibus:
Tempore quo mos eſt communem invertere mortem,
Guſtu voluptatis novæ.
Ex ocreis potant: ſalit in cratere crumenam
Hauſtura præceps alea.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Larva tegit faciem: nudantur brachia cinctu:
Pellit galerum calceus.
Ambulat ima petens caput: à cervice ſupini
Pedes feruntur, non ferunt.
Malint incuſſis audire tonitrua teſtis,
Axemve plauſtri ſtridulum:
Quàm vel Apollineum leni de nube ſonantem,
Quacumque currus vertitur;
Ducentem vel ſaxa chelyn, ſilvaſque ferarum,
Miteiſque ſilvarum feras.
Ipſæ, in lætitiæ media vertigine, tantò
Magis placent ineptiæ.
Exemplis horum, videaris poſſe Camenis
Dulcique abuti fiſtula.
Increpitaque Lyra, gratam ſperantibus Oden,
SATYRAS frementeis fundere.
I, licet: at capiti ſi grandinis incidat imber,
Ictus tibi imputaveris.

XIII.

AD SIMEONEM CONDYLUM,

factionis Stoicæ, quam manſuetiorem vocant; Candidatum,

CARMEN SATURNALITIUM:

in quo declarat Auctor, non eſſe ab hujus Sectæ inſtituto alienum,

RIDERE.

PErſonata venit CITHARISTRIA, CONDYLE: formâ
Et ore par Ægyptiæ.
Attamen una *novem* fidens ait eſſe *Sororum*,
Utcumque fallunt tegmina:
Poſteriorque tribus primis Parnaſſidas inter,
Prior THALIA cæteris.

Pande

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Pande fores. volet illa ſuo lætantia cantu
Ornare LIBERALIA.
Femineum neu crede melos, (quod ſcimus, abhorres)
Tactâ ſonaturam Lyrâ.
Strenua Virgo venit: Thymelen mentitur & Odam.
Virile carmen audies;
Sed feriens parcente manu, non intima ſcalpit
Simulata MUSA Mœnadem.
Te quin imò volens hilarem, ſuadebit habenas
Laxare docto riſui.
Si vacat, & frontem ſolvis, pronamque canenti
Aurem reclinas, *incipit.*
SINT alii anteiqui moris, ſtolideque ſeveri,
Torvum genus mortalium:
Ex oculis quorum fluat imbrifer *Heraclitus,*
Valleis inundans lacrymis.
At tibi DEMOCRITI moreis ſapientiùs opto,
In ſole civis publici.
CONDYLE, ridendum eſt. non ducit ad æthera NUMEN
Omneis eodem tramite.
Si bonus ac lætus cœlo potes ire ſereno,
Cur mœſtus optes nubilum?
In cunis fleviſſe, ſat eſt; nutricis in ulnis,
Ad preſſa matris ubera.
Altera nunc hominis promenda *Potentia* reſtat,
Ne contrahat rubiginem.
Illuſtreis hodieque viros, ut in anſere flumen,
Natare riſu cernimus.
CONDYLE, prægnâteis cauſſas, cave, deeſſe queraris;
Ubique plures ſuppetunt.
Non jubeo Plebis vitâ ſtudiiſque moveri:
Non immoror vulgaribus.
Quod terram fugiat mercator, & æquore ſicco
Perire nolit transfuga;
Inquirat madidum: phociſque miſerrimus angueis
Poſtponat, urnam littori.
Euclio quòd ſtrepitu contentus divitis ollæ,
Siſtat famem tinnitibus:

Quotque triente ferox per mille pericula miles
Venale corpus differat.
Nimirum furor hic veniam laudemque meretur,
Creſcitque, quamvis ſibiles.
Sed cur non alios æque riſurus in ara
Magni LIENIS immolas?
Non paſſim & proceres mutant æterna caducis,
Vili talentum numulo!
Aſtra levi bullæ cedunt; pulcerrima Luna
Turpis puellæ baſio.
Flenda, ais, hæc potiùs; ſed & irridenda phreneſis,
Et multiplex inſania.
CONDYLE, quis pauper vult jam de plebe videri,
Cui ſubula eſt acutior?
Tonſor poſt pulteis, hærentem dentibus atris
Turdum ſuperbit vellere:
Cum ludicra fames plumam non viderit umquam,
De gente vix audiverit.
Adſpice GERMANUM, quot in uno corpore regna
Et nationes exhibet!
Adſpice TEUTONIDAS monſtris certare marinis,
Luxu natanteis veſtium.
Non quo nuda tegant, ſed quo nudentur amictu,
Nebuloſa velant pectora.
Ut latus intorquent! quanta ſe in cyclade vertunt!
Quam lata ſunt multitia!
Velle ſuos credas gallinam cogere pullos
Viſo paventeis milvio.
Cætera tranſmittam. ſatis eſt, oſtendere fontem
Spleni ciendo idoneum.
Ex modico ſolers venator colligit ungui
Molis tremendæ belluam.
Ad ferrum propero. noſtrum cui militat ævum?
Quid Martis eſt in enſibus?
Non propter pacem: PRO BELLO BELLA GERUNTUR,
Victoriæ, jam ſerviunt.
En, quibus Ambitio ſcalis nitatur in altum,
Caſtris & aulis imperat.

Qui

Quis referat ſordes, queis & tunc ſplendet avarus,
Cum vult videri prodigus?
Ut quidam in ſpeculo ſe demirantur & ardent,
Pavonis inſtar gemmei!
Laudari aſſuetus, pueriliter ut ſibi plaudit,
Totoque reſtagnat foro!
Solus Chryſippum legit, ſolitumque Cleanthen
In oſſe tauri ſcribere.
O bene, quod modicæ perſtrictus voce ſagittæ
Demittat aureis pendulas.
Ridicula eſt ætas omnis prope. rara cachinnum
Devexa jure fugerit.
Nec melior, decies cecidit cui forfice barba,
Quàm cui capillus ſepties.
Multa ſenes colaphis quoque digna ſonantibus edunt,
Pœniſque ſæpe nauticis:
Quæ punire decet SAPIENTEM non niſi riſu,
Occalluerunt jurgiis.
Inter eos etiam, qui in verba Laconica jurant,
Dantur coronati *Mydæ*.
Illum ſuſpicio ſuccincta pavoribus, illum
Vanæ trahunt imagines.
Iſtum livor edax coquit: hunc incluſa cupido,
Hunc ira penè ſtrangulat.
Cur impalleſcit chartis ſtudioſus ad ignem
Noctu micantis Cynthiæ?
Dici vult *Aliquis*. ſcabies extrema relinqui
Præ peſtis horret linteo.
Delentur tituli: pedibus calcamus honores,
Obruimus alta nomina;
Non pariter faſtum. quotus audet ferre ſereno
Verboſa vultu ſpicula?
Mirum animal, miris variata Superbia guttis:
Fallax, hirudo Gloriæ.
Invenias, ſua quos & ſe contemnere credas,
Probrum ferenteis ægriùs;
Quàm vel pica ferat millum captiva caninum,
Tædas vel ardenteis leo.

Condyle, quid cenſes? fundi ſi dives & auri
Cunctas opes eliminet:
Scribat & heredes Divos, cœloque reponat;
Lucrumque jacturam putet.
Poſt, huic propoſito curas adjungat inaneis
Fulgore captus bracteæ.
Illectus crotalo, viſcatus imagine picta,
Adhæreat crepundiis:
Perdere quæ metuat, ploratque erepta; caballum
Qualis puellus ligneum.
Non heic ſplene opus eſt ſaliente, & naribus uncis,
Et *helle*-ſtultorum-*boro*?
Atqui vera loquor. fiunt hæc, Condyle, fiunt.
Mendicat à ſe paupere
Nonnumquam, ingentem qui ſponte reliquit opum (vim.
Largitor olim ſportulæ,
Ipſe obit, & veteris Fortunæ dulcia furtim
Palamque lambit cruſtula.
Plura referre piget. de grandi ſemen acervo,
Hæc pauca grana ſumſimus.
Et dubitabis adhuc pulmoni indicere ſaltum,
Canentibus tot fiſtulis?
Aude aliquid Simeon, totuſque incumbe cachinno,
Pleniſque ride follibus.
Sive domos urbiſque forum, ſeu compita luſtras;
Seu caſtra, ſive curiam:
Summum crede nefas, *gelaſinum* abſcondere *dentem*:
Maliſque cædi taureis.
Jamque vale: en, poſitâ perſonâ appareo Musa:
Ne fluctuans diſſentias.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

XIV.

AD ANDREAM GERMANICUM TYROLENSEM,

adverſus Criticorum judicia, ex Stoicæ Diſciplina arcanum.

ODE.

OMnibus ſemper placuiſſe, res eſt
Plena Fortunæ: placuiſſe paucis,
Plena virtutis: placuiſſe nulli,
Plena doloris.
Si quid extremi tamen eligendi
Optio detur, medio relicto:
Præferam nulli placuiſſe, quam, GERMANICE, cunctis.

XV.

Somnium.

DUm vivo, dum tento Lyram, dum carmina dico;
Non tale vidi SOMNIUM.
Diſperſum miſtumque chaos, variumque remotis
Et ex propinquis diſſonum.
Monſtra tot in ſeſe non conſpirantia miro
Nexu ligavit Morpheus.
Ex Iſtro ſurgebat equus, quem lumine caſſum
Lupus trahebat ambulans.
In pedibus ſonipes oculos alatus habebat,
Et tauriformes ungulas.
Inſedi; raptuſque cito per inane volatu
Ignota veni littora.
Quinque viri juxta canum jacuere leonem,
Auro jubatum tortili.
Primores DUO nigranti ſua corpora velo
Obvolverant in gramine.

Tertius irriguum prope fontem, ubi vulſerat herbam,
Quam *macma* dicunt Incolæ;
In medias fauceis auſus dimittere dextram,
Favum extrahebat melleum.
Tres adeo exemit: cùm plureis vellet, in ore
Latens momordit regulus.
Obſtupefacta manus, veluti torpedine pigrum
Fundente virus, marcuit;
Florida rurſus: eam digitis ſimul attigit Infans,
Vicinus in cunabulis.
Ille et apes decies ſenas effervere juſſit,
Criſtas remulcens anguium.
In Martem ſe vertit apis: totidemque ſteterunt
Coram Puello milites.
Quartum deinde Virum vidi tria poma ferentem,
Tam flava, quam ſunt Punica;
Mulcentemque Feræ languentia colla reclinis,
Et inſpuentis ſavium.
Unde mel uberius ſperans ex faucibus iiſdem,
Ludebat æquo crudius.
Id nocuit. nam cum ſpinam male velleret unguis;
Altùm fremente belluâ.
Protinus ad ſonitum tremuerunt membra; ſaliſque
Sudore ſparſa concidunt.
Mater adeſt: patrioque rigat præcordia ſucco,
Coſtamque coſtis admovet.
Quinto nulla fuit ſcrutandi mella cupido.
Legebat alba lilia,
Purpureaſque roſas. cohibebat vitta capillos,
Et nexa peplo tænia.
Prætulit æquorei dentem retuliſſe Triſulci,
Inter repertum pampinos.
Hæc admiranti nemoralem clara per umbram,
Accede, vox eſt reddita.
Heu mihi! dicebam. men' hunc invadere rictum!
Tremiſco totis artubus.
Parce metu, *criſpus* juvenis reſpondit ab arcu:
Et ſe ferebat in manu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Huc ades, & placidi pellem metire leonis,
Nihil minatur Africæ.
Qualiter in Byrſa, tauri ſeu tergore, Dido
Exſtruxerat Carthaginem:
Tu quoque ponendam calamo ſignaveris Arcem,
Menſura quanta eſt velleris.
Aggredior timidè, ſtratúmque examino corpus,
Muriſque ſcribo limites.
Fundamenta dehinc cupiens immota locare,
Demitto palam ferream;
Effodioque cavum. ſculptum fuit: *alea jacta eſt*:
Icus, manebant ultima.
Ecce gigas prodit rubigine ſqualidus auri,
Sceptroque latè ſubmovet;
Vocibus his uſus: ſine, molliter oſſa quieſcant.
Maneis quid inceſtas meos?
Urbem moliri ſuadet ſi dira cupido;
Molire juxta, non ſupra.
Sic fatus tumulo poſuit caput. ocius aër
Clangore cœpit ſuccuti.
Vrſam aquilæ tundunt, vaſtatricemque ſepulcri
Umbræ Gigantis immolant.
Pareo mandatis. dein jugera circumſpexi
Propter latus jacentia.
Ingens campus erat; ſed ſcrupens: ardua ſaxa;
Thebis revulſa credidi.
Atque hominũ quædam faciem, pecundemq; ferebant,
Signis inuſta myſticis.
Quædam decuſſis ſtabant informia fruſtis,
Ceu pars ruinæ turrium.
Marmora cum tophis, ſilices cum pumice miſti,
Multo rubebant ſanguine.
Jamque etiam in ſilvas viſus mihi ferre ſecurim,
Trabes monebar ſcindere.
Cùm ſubitò motis penitus radicibus arbos
Inverſa vadit obviam:
Vertice progrediens prono, pede recta ſupino,
Quo more *Faunus* hiſtrio

Grypha, grues, corvos; volucres ut quiſque fovebat
Nidus ſupra cacumina:
Arborei terris avulſa ſtirpe ruebant
Adverſa trunci in prœlia.
Emicui in morum: nam manſerat unica *morus*
Infixa natali ſolo,
Pacis amans: reliquum juſtam nemus omne phalanga
Umbone juncto fecerat.
Fraxinus in platanos, in fagum procidit alnus,
Ilex ab orno ſaucia.
Obſtupui, criniſque rigens ſurrexit in altum,
Par frondium faſtigiis.
Quod bellatorum genus eſt? quid militis iſtud,
Ramoſa jactans brachia?
Hiſne locis etiam ſparſit fera ſemina Cadmus,
Dentemque in arma fertilem?
Sic ego. nube cava ſic vox prolapſa Tonantis:
Specta cohortem ligneam;
Ut ſibi pugnatrix virideis intorqueat haſtas,
Ventriſque rumpat corticem.
Hæc tibi materies tectis erit apta ſtruendis.
Inſequere tantùm funera.
Inſequor. immani crepitat vaga verbere ſilva,
Manuſque miſcet frondeas:
Donec, ubi innumeri lapides jacuere, patentem
Conciſa ſtravit aream.
Ædificare paro. tardumque, & in omnia cautum
Senex verendus incitat.
In manibus culter capulo radiabat eburno:
Erat capillus rarior.
Ut maturarem, ſuper hæc ſpumantis aquoſo
Urgebat ore Fluminis,
Fluminis immenſi. cui ſi ſeptena micarent
Infecta limo cornua:
Eſſe videretur Nilus: tam multa *papyrus*
Miſcebat algam crinium.
Cœruleus pater aſſurgens, & vertice canus;
Poſtquam ſalutares aquas

Sparſit

Sparſit in attoniti vultum, cannaque fluente
Fauſtùm precatus annuit:
Humida per certos diffundens verba canales,
Immurmuravit auribus.
Summa fuit: *propera*. Sine arenâ & calce trecenta
Feſtino ſaxa jungere.
Quid junxiſſe juvat; ſi, quantum educo ſub auras,
Jovis ſatelles dejicit?
Advolat, & roſtro ſilices partitus adunco
In exſtruentem militat.
Infrendens acceſſit anus, cui lumen ademtum,
Et ſicca pendent ubera.
Hanc comitabatur Centaurus, arundine nixus,
Circaque me fabas ſerens.
Anguibus, & patulo ſtridebat femina rictu.
Nihil locutus Semifer,
Seſe ipſum frenabat eques; madidamque ſalivâ
Verſabat ore laminam.
Atque, ut idem facerem, viſus voluiſſe lupato
Os & meum ſubſtringere,
Reſtitit, injecitque moram, tenuitque moventem
Impoſta ſaxa machinæ.
Aſt ego ſilvicolam ſimulatum, in tempus adacto
Exeſſe juſſi malleo.
Fugit in Ægyptum: ſubterque Serapidis aram
Se vulneratus abdidit.
At non fugit anus ſqualentibus horrida mammis.
In me retorto lumine,
Ecquid, ait, ſperas in cœlum hoc tollere culmen?
An faſcinat Semiramis?
Flamma prius pelago miſcebitur, altaque curvo
Sulcabis aſtra vomere.
Omnibus obſiſtam contra tua viribus auſa:
Sic me ſorores juverint.
Ter moles erecta, ter atro fulmine tacta
Ad ima rurſus corruet.
Dixit: & obſcuro fumantem ſulphure tædam
Conjecit in mortarium.

Serpit in oſſa tremor. video volitare favillas,
Fragileiſque muros hiſcere.
Pergo tamen. verùm quoties deſtructa repono.
(Ut monſtra ſemet implicant !)
Ponè puer riſit, ſtivamque impreſſit arenæ;
Et ſeminavit carduos.
Interea niveis ſubvectus in æthera Cygnus
Deſcripſit alis circulum.
Ter dederat per colla modos, ter in aëre plauſit,
Quinos ſecutus obvios.
Conveniunt Phœnix, aviumque exercitus ingens,
Ternæque ſemper provolant.
Ex his una meis humeris inſidere viſa,
(Fuit palumbo concolor)
Depoſuit folium lauri, foliumque cupreſſi.
In his aratæ literæ :
Linque ſagum Marti, falcemque arcumque Gelono.
Et picta Medis cingula :
Quamque togam geſtas, palmis inflectere noli.
Nefas, bibiſſe ex caſside.
Hinc refer ad ſtantem prope te tua lumina DIVAM.
Solis loquentem nutibus.
Quæ mox inſignem per mille coloribus arcum
Deſcendit inſtar ſideris.
Irriguum ſtat fronte jubar : lux nigra comarum :
Perfudit extremas crocus.
Juniperi ramum florentem dextra gerebat,
Crucemque læva cedrinam.
Pulcra, ſed elinguis. pro verbis ſigna ſequuntur.
Jam roſit unguem pollicis :
Jam preſſit labrum : modò miſſile jecit in auras;
Quà Virgo Libræ præſidet.
Me modò detinuit quamvis obliqua tuentem,
In irreſecto cæſpite.
Cernua poſtremum, digito hæc in pulvere ſcripſit :
Caſsi laboris deſine.
Anſeribus vulpes, crocodilo ichneumona jungis.
Aproque tendis retia.

Sub tellure latet ſpeculum : ſapientiùs illud
(Immitte marras) erues.
Iam tuus ille leo , calamo quem menſus eras, ſe
Toto explicavit corpore.
Sic erat. extenſum reperi. juba nexuit *agnum.*
Maduëre circùm marmora:
Et lacrymis pardi, lacrymis maduere triones.
Flevere ſilvæ, & littora.
Ipſe ego non humili mœſtus terrore per agros
Diſcurro, more Thyadum:
Ne videam, videarve. iratus denique vano
Ædilitatis nomini,
Juxta *quinque viros* illa tellure jacenteis,
Mihi ſepulcrum molior:
Unaque evigilo. Quæ ſum ludibria paſſus!
In quas chimæras incidi!
Credebam in manibus durum me ferre ligonem:
Eratque penna candida.
Chaldæi, Phariique Magos habuere, ſagaceis
Interpretari ſomnia:
Quis Vati vates erit, & mea pandet Apollo,
Tot impedita nexibus?
Si quæ pondus habēt, an et hæc quoq; pondus habebūt?
Permitto Fatis omnia;
Soli méque DEO. fiat, quodcumque futurum eſt,
Votum ſit hoc; non ſomnium.

XVI.

Ad Primores Congregationis Macilentorum

SCYTALE LYRICA.

Carmen truncatum, cujus dimidium ſibi Auctor, certis de cauſſis, reſervavit.

Quid Scytale Laconica ſit, intelliget Lector ex Auli Gellii Noct. Atticis lib. XVII, C. IX. *Ad ejus aliquam imitationem, quæcumque ſecretior epiſtola, ſive ſcriptio mutilata in hunc finem, ne cuivis pateat Lectori, Scytale nominari poteſt. In ſua autem hac Scytale*

tale Lyrica, ad Macros, velut teſtamentario ſermone, Auctor negotiis & morbis preſſus, abdicat ſe magiſtratu, & reſciſſo ſtudiorum propoſito, animum ad magis neceſſaria appellit. docet, Sapienti mortem non timendam eſſe. cohortatur MACROS *ad conſtantiam: ut hoſtilitatem in* CARNEM *mordicus retineant. Præterea commendat illis idoneam promovendæ maciei Stoam: non inanem aliquam voculam Grammaticorum, de brevitate ſyllabæ litigantium; ſed Philoſophorum diſciplinam graviſsimam. quamquam, cum de Stoicis ſermo eſt, intelligi non vult crudos, umbratiles, ſaperdas; ſed veros, ac Chriſtianis virtutibus bene maceratos. Ad extremum indicat, qui in Ordinem admittendi, qui vitandi ſint. Omnia breviter & Laconicè.*

HUc tandem ventum eſt: imus, quò ducimur, imus,
Jam teſta lutei fracta corporis crepat.
Procedunt anni: ſubeunt faſtidia rerum.
Luctantis animæ murmur in labris natat.
Inſuper & noctes, & triſtia ſomnia terrent:
Et ipſa, ſine me, neſcio quid ululat Lyra.
Migrandum. vos ô graciles, mea cura, ſodales,
Tam mente ſolidi, pelle quàm friabiles:
Antè ego quàm ſubeam tumulum, ſaxoque repoſtus
Fraterna juſſu Mortis oſſa porrigam:
Accipite hæc animis, memorique in mente *ſupremâ*
Fortaſſe VESTRI verba PATRIS condite.
apiens incumbere calvæ
& ante mortem ſcit mori.
ſacer eſto VAPPIUS, & qui
credit eſſe Stoicum.
ARCOPPUM NEL Lusque· cavete
on ſapit NASVVISIUS.
plus quam arctoa jocantis
UFFELINI frigora.
urit RIESSELIUS: ESPHO
inficetus VIRNIA.
quis fideret INCOSAMUCHO?
cephalus

cephalus omneis prodidit.
etes & FLAVIUS odit
raga figens grandia.
vino laudatur in illo,
inſtar auri fluxerat.
tida ferrugine FUSCUS.
guilla vultûs optimi.
petaſum LUPICEUS habebat
vultuoſus pendulum.
atinam divellere felix,
& ſpadoni plumeo.
EUS annuat, ut macer hoſpes
nuiſque fiat POLLIO.
neſta ô tempora! ridet
le defixus ſuis.
ſtoriam componere juſſus
gleba ſpinarum ferax.
creſcatque audacia cœptis;
multa non ſinit loqui.
refert, quo bella gerantur,
enna quæ ſignet ducem,
utinam ceſſare liceret!
empe FATIS debeor.
ANCISCO ſæpe rogandum;
ba creſcat in ſeptem pilos.
trema hunc urget egeſtas:
AGUSIANI ſanguinis.
ſitque altera cura PHILIPPUS,
aunus illi cornua.
ceu rupta fronte juvencum.
parque bombyci fuit.
Diris devotus abito,
ratris oſſa fregerit.
concordes vivite: creſcit
culoſus eſt furor.
ptum ſervate AGATHYRSUM,
aliquid & thyrſi gerit.
ſtras evolvite Leges.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

floreant & arida.
Illumque timete tyrannum.
FORTIOR SIT SPIRITUS.

XVII.

AD PETRUM ALTENHOFIUM.

Auctor de mortuali pheretro ſibi proſpicit: ſupervacaneam Epitaphiorum curam irridet.

ODE.

Quid? ſi beatis Mentibus aſſeri
Indulget Æther, PETRE, Caryſtiâ
E rupe deciſas ſepulcri
Pyramides, Pariamque molem
Quæremus Umbris! frangite marmora
Diſtincta venis: tollite lugubrem
Faſtum, redundanteiſque pennas
Funeris, & titulos, AMICI.
Offendor iſtis: HEIC. JACET. ARMAGRA,
MARDO. CARALLUS. VASCO. FERONIAS.
TRIUMVIR. EXCONSUL. SENATOR.
CONSILIO. MANIBUSQUE. MILES.
TER. AD. POLONOS. AD. LIGURES. QUATER.
QUATER. BRITANNOS. MISSUS. AD. ULTIMOS.
LEGATUS. EXTREMUM. VIENNAE.
SOLE. DIEM. MORIENTE. CLAUSIT.
At ecce circùm ſeſquipedalibus
Cælata ſignis, pendet imaginum
In gentis armorumque laudem
Pompa ferox, galeæque & enſes
Criſtæque & umbo: monte ſuper tigris,
Supraque ſcutum vultur, & aurei
Caput coronatum leonis
In medio; Libycique dentes,
Cervique cornu. ſcilicet, ut ſciam,
Fuiſſe nuper P u s generoſius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Hac ſede defoſſum. Faceſſe
Flebilium miſerande luxus.
Odi ſepultæ murmura gloriæ.
Fœtent in Urna grandia nomina.
Inceſtat & Maneis cadaver,
Quod ſub humo putridum ſuperbit.
Me, ſi paratum, PETRE, jubentibus
Suprema Fatis hora citaverit:
Longam quidem, ſed impolitâ
Sandapilam fabricabis orno.
A fronte ſcribit: HEIC. JACET. ALSATA.
POETA. QUONDAM. NON. SINE. LAUREIS.
O Vanitas! expunge rurſus.
Si jaceam, ſatis eſt, quietè.

XVIII.

HYMNUS

adſpirantis ad cœleſtem Patriam.

ODE.

TE canemus, VITA DIVÛM,
Vita dulcis, vera Vita,
Quam Senectus nulla lædit:
Nulla morſu carpit Hora.
Quam perennis VENA fontis
Quattuor diſperſa rivis, & VOLUPTAS irrigat.
URBS SIONIS, ſive Regnum,
Deſtinata ſive Cœna,
Sive nomineris Hortus:
Semper es beata Vita,
Vita Divûm, vita dulcis:
Tota melle, tota lacte, tota manas gaudiis.
Omnis illic turba florum,
Eleganti penicillo
Prata pingit, & nitenti
Sanguinem candore miſcet.
Stillat alba liliorum,
Defluitque rubra nubes: & liguſtris grandinat.

Luce

Luce purpurantur herbæ:
Criniuntur arva gemmis:
Sardii ſpirant amomum:
Germinant toris achates:
Carpit unguis margaritas:
Et virentem flos ſmaragdi provocat topazium,
Delicati VERIS aër
Acriorem pellit annum:
Mirus artifex corollæ
Pulcra nectit ſerta MAIUS:
Serta. quæ ſoluta pronis
Expeditus è pharetris, ſpargit in viciniam.
Sic odores in Sabæâ
Mitè fluctuantur aurâ.
Convolant tenerrimorum
Spiritus Favoniorum,
Et roſarum corda perflant.
Sola Vitis lacrymatur: cuncta rident cætera.
Arborum ramoſa cervix
Se comante veſtit auro,
Fulva trudit poma malus.
Alta cedrus, palma victrix
Mutuos amant ſuſurros.
Exſulat cupreſſus atra, triſte lignum funeris.
Nulla mutat bruma ſilvam,
Frondiumve molle textum:
Neſcit illibata virgo
Flabra ſævientis Euri:
Nec pavet tonſoris Auſtri
In capillis rore tinctis criminoſam forficem.
His locis AMOENITATES
Ambulant, & invidenda
Triga ſiſtit GRATIARUM.
Incolæque; ſive collis,
Sive vallis umbilico,
Dulcè ludunt, dulcè gaudent, dulcè carmen perſonant.
Pars micante fila plectro
Criſpat, elicitque laudeis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Pars liquenti voce bella
Narrat ex honore geſta:
Seque ducens in triumphum
Laureis utrinque cingit, populoque tempora.
Balſami fragrante nimbo,
Luminumque mille viſis;
Auriumque mille muſis,
Senſuumque mille formis,
Millies ſimul fruuntur.
Totus aſtrum, totus auris, quiſque totus naſus eſt.
Ergo nullis inquinantur
Tædiis, mœrore nullo.
Læta per campos juventa
Plaudit uſque, cantat uſque.
Si Camenas finierunt,
Gratioreis auſpicantur: finis, eſt exordium.
Lividos ſupra Cometas
Elevantur; & relicto
Fulminum tonante nido.
Verticem pulſant Olympi:
Qualis ex arundineto
Ignipes ſcintilla currit ſumma per faſtigia,
Inde ſpectant curioſi:
Turbulenta quàm ferantur
Ludibundo Fata motu.
Quos vaporis cauda figat:
Quæ per Orbem regna turbet
Vel cruenta Martis haſta, vel triſulca nubium.
Servat integram venuſtas
Spongiæ ſecura formam.
Floridos decore vultus
Nulla decoquit pruina.
Frontis æquor ſtat quietum:
Dens eburnus, & genarum mala diſrant Punica.
Æmulantur ora Solem,
Ex lavacro prodeuntem.
Æmulantur ora Lunam,
Caſtra noctis inſtruentem.

Æmu-

Æmulantur ora Stellas,
Quæ coruſca Vere tendunt atque pexa vellera.
Ecce totus hiſcit Æther:
Omne pandit Aula cœlum.
Qualis olim præparata
Virgo nuptialis AGNUM
Prodit amplexura SPONSUM;.
Civitas ſuperna fulget, tota dulcis adſpici.
Exſtruit portas ïaſpis:
Sardonyx coronat arcem:
Turrium beryllus ima:
Turrium ſapphirus alta.
Aureæ micant plateæ:
Surgit auro celſa moles: ſtant in auro mœnia.
Hîc ſerenus ille VITRO,
Hîc videtur in TRIGONO,
Liquideque limpideque,
UNUS atque TRINUS ille.
Clara mentis in theatro
Multiformem ſimplicemque ſcena volvit *Circulum*.
VISUS irritat *videri:*
Grata ſemper vota gliſcunt:
Quod ſapit, deſideratur:
Eſurit cupido plena;
Poſſidenſque concupiſcit.
Æſtuat ſitis ſub unda vorticoſi Numinis.
Quiſquis hoc ſubmerſus alto
Deſiit timere ſiccum;
Gaudet obrui procellis.
Inſulas ſubire nolit.
Intimo felix hiatu
Nemo ripam, nemo remum, nemo quærit aſſerem.
Lucidi *caligo* ponti,
Portus abſorbens carinas,
Grata *tempeſtas* profundi,
Pax tumultuoſa merge,
Merge mitis *turbo* Vatem.
Hîc peritur enatando: ſalvus eſt, qui mergitur.

SIL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

SILVARUM
LIBER VIII.
CONTINET
GENIALIA.

Ad clariſſimum Virum,
ARBOGASTUM HARPHIUM,
ALSATAM.

INGENIUM *tuum, ac Poëſin, ſuſpexi ego ſemper, æſtimavique, ut par eſt, Vates clariſſime: quod in quarto Lyricorum meorum libro, Ode Nomini tuo inſcripta, conteſtatus ſum. At enim jam nunc, ne Nomen quidem* HARPHII *myſterio vacare, Germani intelligent, quippe non ex vano hauſtum; dicériſque alter Orpheus, quem canentem, ecce, Silvæ etiam meæ accedunt. Auctarium vides Carminum, quæ provocatus luſi. Liber nonus, cauſſa eſt et octavi. Numerum imparem, Vatibus & Heliconi Sacrum, utrobique ſibi conſtare voluimus. prior Editio, ſeptem Libellis, Artes totidem liberales horonavit: iſta, Novem Muſas veneratur. Quæ pertractaverim, paucis complectar. Statim in primo limine offendes Ægrum, cum cadavere ſuo luctantem; ſed poſt deſperatiſſimam exulcerationem, tandem ſibi reſtitutum. Secundam Oden, de Conviviis Germanorum, imperavit* BURGENSIS

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

SIS noſter, Carnis, quod probe noſti, acerrimus hoſtis. fuit autem illius epuli Modimperator CONRADUS UFENS, inter honeſtiſſimos Cives ſummus. quem NICOLAUS GLASTONIUS, ut facete multa dixit, fabrum Fortunæ ſuæ ſolebat nominare. Commendatio Solitudinis, GASPARI BARLÆO & JOHANNI INGELIO debebatur. reſpondendum erat Batavis Camenis. Proximo Carmine excuſo me Amico. non ſuſtinui nomen ponere: ne OCTAVIUS FRANGIPANES ſe moneri putaret. Non diffiteor in Lyricis ac Silvis meis arcana quædam eſſe, exterìus innoxia: rideoque curioſum, & hebetem, quiſquis vel omnia ſuſpectat, vel nulla rimari poteſt. Sequitur gratulatio, facta CORONARIO BURGENSI, Macilentæ Cohortis Anteſignano. Carmen extemporale eſt, recitatumque ſtatim poſt electionem, in Curia, prope Cœmeterium ſita, adſtante Vmbrarum Choro. Conſuetæ quoque & memorabiles illæ quidem cærimoniæ adhibitæ ſunt. De herba Tabaco, quam alii Nicotianam, alii Pætum, alii Panaceam vocant, ſic fabulamur, ut veritatem rei non deſtruamus. Tam multis inviſi, quàm peregrini, germinis vim expertus in morbo, commendare non ſum veritus, ante notitiam poëmatis, hercule, animoſi, quod RAPHAEL THORIUS conſcripſit, Anglus, & canendi & medendi arte clarus. LUCIUM BASSARAM, mole corporis tardum, conſilio, niſi fallor, aptiſſimo, ad curſum in pulvere Olympico inſtruximus.

Haut

Haut multo gracilior eſt GUNDARUS OSCA, *Varro noſtri ſeculi, omnium librorum helluo. Ingentium voluminum plauſtra propediem edendorum minatur* Orbi. *præfeſtinantis impetum ſufflaminare conor. Vereor, ut ne alii quoque judicent, quandoque cum Homero dormitare me. etiam ſomniare me profiteor. impune certè, ſi non laudabiliter. cur diſſimulem? hoc moris eſt in Parnaſſo. ad nocturnam Demoſthenis lampadem* Oratores *elucubrare ſua ſtudent. Poëtæ ſomniantes vigilant. clauſis oculis plura vident. Quid verò loquar illo tempore, cum non meus ſum; ndicavi* BARTHOLDO NIHUSIO, *eruditiſſimo Viro, & de bonis Literis optimè merito. Cur autem & tu, inquies, celeriter multa? primò, ſtimulatores mei velut lentum increpant,* ARBOGASTE. *deinde, quamquam nemo invitior, adverſus indolem & bene conſulta rapior æſtu popularis procellæ, ac quodam malo Fato Gentis noſtræ. coguntur catuli feſtinare cum canibus. Aſceſin Ignatianam noſtris coloribus depictam,* FRANCISCUS PALMENIUS, *municeps tuus, merebatur; Iuvenis ſanguine cultuque virtutum florentiſſimus: ut vel ipſa Pietas edidiſſe in lucem; vel editum, mater Pietati mox conſecraſſe videatur.* LEMONIUS GAGES, *bellus homo, & feſtivus, Planetarum ſcientia pollens, proxime à periculo mortis aberat; auſus viperam contrectare, Monachium ex Phocide allatam. fulgor & ſparſi colores curioſo maſculo noxie blandiebantur. Ego autem, ne periret*

ſciurus

ſciurus iſte lepidiſſimus, doloſum ſerpentem è manibus excuſſi. cohorruit, ſcilicet, intellecto diſcrimine, & gratias egit ſervatori ſuo, candida ac ſimplex anima. Quæ ad PETRUM KAZIUM leges exarata, ſcito ſuggeſſiſſe FRIDERICUM HERBSTEINIUM, Romanæ Antiquitatis ſtudioſiſſimum Virum. eademque mihi Ingolſtadio diſcedenti inſuſurravit PHILIPPUS BOMBYCIUS. cui ego tunc ridens pariter in aurem: Oraculum, Philippe, dixti. ADAMUM HOLIUM Olitorem, quàm potui dignis juxta veriſque extuli laudibus: inſertum merito ſuo Silvis noſtris, vel idcirco etiam, quod robore & forma, ne ipſi quidem Silvano cedat. Ejus beneficio, Meditationem Mortis, altius animo impreſſam, gratus aſſcribit ANDREAS AIGENMANNUS, ſenex ſuaviſſimus; cui Oden ſubnexam dedicavimus. id ætatis vir valet etiamnum, ut qui optimè, omnium morborum expers: niſi quod nuperrime ſiniſtrum ipſius pedem Charon remulco podagrico perſtrinxerit. LAMORIANUM GLASCONIUM ſi noſſes, nec tu, credo, ullos Auctumni Poëtici fructus, naſuto Iuveni, præter ficum oſtenderes. Decretum, quod ſequitur, in Macrorum Senatu factum, MATTHIÆ VELIDIO explicare juſſus ſum. quo eodem tempore P. C. ſanxere, Macilentos titulum Magnifici recipere poſſe, non item Ampliſſimi. Variam humanarum Mentium picturam, & diſcordantia ſibi vota, deſcripſi in gratiam LUCÆ CRASII, ex Italia

lia ad nos remeantis. elicuit feſtivus homo conveniens palato ſuo Carmen. quod cùm evolveris, ſcio, nobiſcum ſenties, agnoſceſque multos familiares, JODOCUM MASINIUM, SIMONEM CÆCINNAM, SIGISMUNDUM POBIUM, ROCHUM SAGAM, BENEDICTUM MIRNIONEM, & quem præ cæteris intime ſemper dilexiſti, GEORGIUM RAZBODUM. Ferre autem non poſſum convicia in Naturam. itaque RECAREDO MALVIO, Genialibus ſtellis irato, deplorantique ingenii ſui obſcuritatem, accendi lucernam, cujus beneficio pervideat bona, quibus ipſam propitia Fata cumulaverunt. MORANDO BAVILO, probris æmulorum laceſſito, Amuletum invidiæ in tempore tranſmiſi. patienter acquievit monitis, & animum injuriis dejectum perſanavit. Ne conſilium periret, quod HENRICO BESTENIO dedimus, morbo ventris (Vmbonem Medici vocant) laboranti; placuit literis conſignare, utiliter duraturum ad poſteros. DANTISCUS quoque noſter exhilarandus erat commendatione Sedis Eberſpergenſis. neſcio, unde horrorem conceperat ejus loci, quem ſubmovere conamur. Sed nimirum piaculum fuiſſet, munera ſola recenſere Divûm, ipſumque adeo Tutelarem Præſidem inclyti Collis ſilentio præterire. Itaque à villa in Templum digredior, glorioſo M. SEBASTIANO ſupplex. fortiſſimi Teſtis Chriſti encomio imparem me confeſſus, purpuratum Oratorem, D. CYPRIANUM, ſubſtitui, ut Martyr à Martyre

tantò

tantò dignius laudaretur. Iam vero officii mei putavi eſſe, commonere eruditiſſimum Iuvenem PAULLUM GALARINUM, *ut Poëmata ſua luci publicæ permitteret; ne diutius premendo invidere Orbi velle videretur. Multo magis miraberis ſollicitudinem meam erga* MARCUM LIMAM, *cujus lethargum miſeror. brevis Oda eſt: quando & in homuncionis iſtius globoſo corpore, nihil ferme longum eſt, præter ſomnum. Subjungitur Epicedium plangentis alienum funus. Nam Germaniæ mala, quæ Cantu Duro deflemus, ad nos quoque pertinere arbitramur. Libellum abſolvit tædium Muſarum, ſollemne Poëtarum præmium. Feliciores Apollo hederâ coronet, & lauro: nos, ſi Pæti foliis filius ejus Æſculapius cingat, contenti ſumus.*

AD

AD MARTINUM SIBENIUM S. I.

ODE I.

Poſt quinque menſium proſtratam valetudinem, ut Auctor convaluerit,

ANNO M DC XLIV.

INſitus eſt miſeris mortalibus hic quoque, ſive
Stupor profundus, ſive crudelis furor:
Sanari plerique volunt precioſiùs ægri,
Quam ſumtuoſius poſcat Æſculapius.
Ni gemmam jugulent, lapideſque è Perſide capra
Sciſſos eburno conterant in poculo;
Deſperata ſalus. aurum bibit ille recoctum,
Alterius herbas Solis ac nuces edit.
Nugæ. ſæpe levis res eſt, quæ pellere morbi
Letale virus poſſit efficaciùs.
Exemplo, MARTINE, meo, non vana locutum,
Tuoque diſces, providus, vitæ bono.
Jam tepidas ſaliens Aries cœleſtis in auras,
Balabat alta vernus inter ſidera:
Quum me dira lues viſcoſis nexuit hamis,
Populata pectus, & meatus aëris.
Ante macer fueram; ſed enim mox cedere totum,
Et fugere tantò corpus à ſe longiùs.
Lurida ſubſedit facies, cavà vallis & horror:
Iners orexis, adque menſam languida.
Acceſſit maleſana ſitis, decumanaque tuſſis:
Tam ſicca, quàm quæ ſtupa perſenſit focum.
Denique cùm cœpit lenteſcere ſonticus humor,
Pleno cruoris ore ſanies exiit.
Et jam deſierant liquidi commercia cœli;
Reciprocare vix valebam ſpiritum.

Viſa quoque eſt Macies, violas induta nigranteis,
Arente ramo contigiſſe tempora.
Quo mihi funeſtam ſigno præſagiit urnam,
Animæque, motâ ſede, migrantis fugam.
Conveniunt Proceres magni de ſtirpe Galeni,
Genus ab vetuſto ſtrenuum Machaone.
Multiplicant vultus, & viſo pure ſpuentis,
Oculos ſeverâ nube condunt frontium.
Fit ſonus exululans: & ſingultantia verba
Viſæ reſorbent dividuntque lacrymæ.
Atque aliquis, cui tota mei collapſa fuit ſpes,
Moriturus excla-BALDE-mavit: *Hoc habet.*
Demitto auriculas, quales demiſerat olim
Loquente, ſacram, comite, Flaccus, per viam.
Audierant queſtum flentes ad limina Muſæ,
Studiis alumnum conſuëtis eripi.
Una quoque, ut ſimili leniret voce pudorem,
Subæmulata nos, et ipſa tuſſiit.
At non adverſis eadem ſententia caſtris.
Gaudere pingues, Orgiiſque fervere.
Hoſtem quod media pavitantem in morte viderent,
Pæana feſtis concinebant vocibus.
Sed nec Oreſtæos inter convenit amicos,
De mitigando Pyladis infortunio.
Suadent Hiſpano glaciem perfringere Baccho,
Si quæ catarrhis defluens concreverit.
Pars bona cenſuerat ſarcaſmis triſtibus iræ
Fluctus ciendos, phlegma qui reſolverent.
Arte Palæologum qua quondam norat Achivum
Surrexe, furiis vim mali pellentibus.
Trudimur in lectum, ferroque ac fune ligamur;
Connexa quæ nec ipſe rumpat Hercules.
Certant ingenio, mihi quis ſolertiùs inſtet;
Aut vota luſum vertat in contrarium.
Barbita poſcebam: raſtrum deforme dederunt.
Soccos petenti protulere fuſcinam:
Pro libro fuſtem, ficum pro dulcibus uvis;
Compreſſa qualem pollice efformat manus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Clamanti, Sitio; paries monſtratur, & uncus,
Ex quo pependit malleus cum forcipe.
Scitabantur; ubi Macies, mea Diva, moretur?
Cur inficeta non ſuum Vatem juvet?
Nunc eat ad Parcas; exoret penſa ſororum,
Columque tardet, & ſecantis forficem.
Quin potius moreris? noſtrum quid polluis orbem,
Exſangue ſpectrum, viva fex cadaveris!
Jam monuit bubo. purga, miſer, æthera flatu.
Audis ſonontem livido Lethen vado?
(In viventis adhuc jaciebant ora trientem)
I, genua te ſuccinctus exſpectat Charon.
Addiderant inſulſa jocis præconia. naulo,
Subjecit alter, mortuo non eſt opus.
Gratis ſubvectat ſtrigoſos nauta Poëtas,
Pomo Sibyllæ ſe tuenteis aureo.
Sic ait, & frontem pulſat reſonante talitro,
Unaque tractum capitis evulſit pilum.
Turbidus infremui, torvumque ac funebrè ringens
Denteis in ore viperinos miſcui.
Non ſecus ac Cyclops ferus inſidiatus Ulyſſi,
Tonuit per alti ſpatia deluſus maris.
Ter conatus eram manibus comprendere Mimum;
Eviſcerandum, ſi maneret, unguibus.
Ter ſe proripiens vindictam eluſit hiantem,
Et ponè collum ſtans flagello perculit.
Quis mihi tunc animus? rapida ſuccenſus ab ira,
Exæſtuavit vaſis inſtar ignei.
Ardebam, qualis Capaneus, cui mœnia ſupra
Scalas ferenti fulminum inſedit vapor.
Profuit hæc rabies. ſed inhæſerat altiùs imo
Infixa fundo peſtis illætabilis.
Ergo intra teli jactum tumulique jacebam,
Caliginoſæ totus incumbens neci.
Diffugiunt ſocii. rapiuntur plectra, lyræque.
Suprema (memini) vota mentis hæc erant.
Pierides, ſiquid merui, digniſſimus heres,
Curate, noſtram ut occupet Teſtudinem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Ne Mida perſultet, ne rictu ſtante Lycaon;
Aut pellis expers, fiſſus aureis, Marſyas.
Hæc inter (veris oculis, an imaginę ſolâ,
Ignoro) vidi luſitantem ſimiam.
Involat in citharas, & ducit, (eratque togata)
Et in cubili varia pectit carmina.
Quoſque ego percuſſi nervos in claſſica Martis,
Inepta mulcet, & canit Cupidinem.
Riſimus; ac toto micuerunt ſplene cachinni,
Lepidiſque nares canduere flammulis.
Inſequitur cerebri fulgur vitale moventis;
Tunc ex procella cor movente ſternui.
Concutitur pectus: pus evomo: vena ferocit,
Calidusque vibrat ſanguis in præcordiis.
Spirandi folles animantur ab æthere rurſum,
Hauſtuſque dulces rurſus auraï trahunt.
Continuò redeunt hilares ad limina Muſæ,
Poſitaque ſumunt veſte pulla candidam.
Viſa quoque eſt Macies niveis induta liguſtris.
Virente lauro contigiſſe tempora.
Quidquid id eſt, largos iterum bibo cum Jove ſoles.
Pulmo recentem ventilat Democritum.
Quàm bene providit nobis Natura, SIBENI,
Ridere dans & Flere; ſed pro pharmaco!
Scilicet, ut Corpus riſu medicante levatur;
Sic Animus æger convaleſcit fletibus.

AD CONRADUM UFENTEM
COGNOMENTO RUFFUM,
De Germanorum Conviviis.
ODE II.

IUpiter hoſpitalis!
Bacche Convivis pater addicte! Ceres modeſtæ
Præſes amica menſæ.
Quam gulam quærunt Alemanni ſatiare Thraces!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Horreo ferculorum
  Monſtra. non lances numeroſas, neque culpo luxum.
Tale nihil renidet.
  Damno fumanteis dapibus tot patinas coquorum:
Queis ſtomachus leænæ,
  Urſa ſuccumbat glaciali Scythiæ timenda.
Ponitur in catino
  (Primus hic miſſus) vitulinum caput irreſectum.
Mox et apri. ſequuntur
  Fuſiles offæ bene fartæ. quibus innatant to-
macula, & exta porci
  Mitiùs ſævi. ſequitur bos & ovis, rotundæ
Grandia fruſta quadræ.
  Perna ſuccedit nova. væ dentibus, ut terentur!
Haut aliter, molaris
  Quàm ſilex. quin et tepido ſanguine rictus undat.
Mandit enim cruorem
  Belluæ, cujus vapidâ ſtagnat adeps in ollâ.
Omnia ſint opima,
  Et famem pellant. ſed ubi ſunt olerum replicta,
Aſparagi, tragema
  Mollius, pomum citreum, cum nuce pulla ficus?
Quod videt, & palatum
  Guſtat, hoc pulpa eſt. Caro, Carnes, epulumq; totum
Eſt laniena Carnis.
  Nona pars mî ſit ſatis, UFENS. ego non Milonis
Tympana, non luporum
  Attuli ventrem. modicum Pythagoras habebat.
Nos quoque: qui colendam
  Sumſimus nobis Maciem: qui tereti movemus,
Nobilis inſtar umbræ,
  Lineâ corpus. ſatur, eheu! ideone pingui
Admoveor paropſidi?
  Ut malis Circes Hecatejæ quaſi potus herbis,
Poſt epulas repentè
  Muter in formam ſuis? an, ne quid acerbioris
Lætitiæ jocoſus
  Rideam, ſtrictis maculoſæ gladiis arenæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Deſtinor immolari?
Paſtus ut quondam gladiator populi ſaginâ!

AD JOHANNEM REINERIDEN INGELIUM, V.C.

ODE III.

Poëtæ, ABDOLONYMUM, *ſive commendationem Solitudinis, Oden* I *libri* I *Lyricorum, verbis factiſque commendanti, reponit Auctor aliam; in qua probat, omnibus, maxime Poëtis, ſilvas ac rura urbibus præferenda eſſe.*

In gratiam Clariſſ. V.V. Ejudem INGELII, *&* GASPARIS BARLÆI, *Amſtelodami degentium.*

ITe truces Curæ, ſcelerataque nomina, Lites:
Et urbis uſquam quidquid eſt in urbibus.
Ite laborati Faſtus, immania tecta;
Structæque ſpatia per reflexa porticus.
INGELII mihi vota placent: qui mœnibus altis
Humilia parvi ſepta præfert Tuſculi.
Cur ſtruimus lapidum cumulos, ſublime lacunar,
Conſerta plumbo fuſili faſtigia?
Scilicet, eſt aliquid precioſi inſania luxus;
Timere caſum poſſe turris arduæ!
Rupibus exciſis ſtipantes æthera, nobis
Eripimus ipſi Solis oblatum diem.
Atqui liberius, multoque beatius olim,
His abſque nugis, vixerat Germania.
Ruri lætitiæ degunt; innoxia ruri
Et curioſa pectus implent Gaudia.
Hîc puro de fonte micat geniale ſerenum:
Formoſus albo ride ore Cynthius.
Non jubar anguſtant trabibus laquearia preſſis;
Nec ſumtuoſa lumen arcent culmina.
Si modò Mortales ſcirent agnoſcere munus,
Et æſtimare vera Naturæ bona:

Omnibus

Omnibus alma parens medio dedit omnia campo:
Nec abdidit meliora propugnaculis.
Qui nil quærit, habet. fruitur ſine fœnore dives.
Tanta ejus arca eſt, quanta Tellus hæc patet.
Parte alia clivis, alia declivibus umbris,
Irritat oculos liber adſpectus ſoli.
Diſcolor in foliis nemorum. laſcivia regnat;
Simul hæc amictu Majus incinxit novo.
Ærea non ſacrum violat caput Amnis imago,
Seu fictus Atlas, ſive torvus Hercules.
Intemerata fluit ſcatebris aqua, mobile vitrum,
Et culta ſtringens arva garritu ſecat.
Accedunt avium queſtus, meditataque bella,
Et in theatris arborum comœdiæ.
Quid niſi funereum, ac vano ſplendore coactum,
Centum columnis nixa moles exhibet?
Fruſtra peregrini montis coguntur in arcum:
Simulacra ſummo ſtare coguntur tholo.
Coguntur latices verſo migrare meatu,
Et putrefactis invehi canalibus.
Cogitur in cavea, licet indignata volucris,
Heu, ſervitutem nata libertis pati!
Credis adulantem, cuſtos; quia verna ſonorum
Milioque redit ac papaveri melos.
Falleris. immeritæ deplorat fata cataſtæ;
Suumque juſtis devovet diris Herum.
Carmina, quæ dicit, mera ſunt convicia. fixum
Te potiùs optet, clauſtra quo roſtro ferit.
In Pago vitiis minimùm indulgetur, & Arti.
Suam procul Natura pellit ſimiam.
Sponte fides in fronde ſedens movet aliger Oſcen,
Et æmulanti gaudet audiri choro.
Sponte ſubit Chloris, varioſque induta colores
Per prata ludit, ante meſſoris manum.
Sponte ſua gelidæ properant ad pocula lymphæ,
Acuuntque primis frigus in cunabulis.
Quò cedrus ac citrei tigni, maculoſaque ſaxa,
Ut Xerxis ingens explicetur Regia!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Paſtori facient ſex, ampla palatia, rami,
Captura totum Xerxe cum noſtro gregem.
Non ideo minus his tegitur, quam verus eburno
Medus recumbens tot coronarum toro.
Exprobrat aurato teſtudineoque cubili
Somnus virenti procubans in cæſpite.
Quippe ſui largum nec ſæva exterreat umbra,
Nec impeditis plauſtra rumpant axibus.
Ut taceam, quæ non edat ſpectacula noctu
Lepidus volantum populus ille ſiderum,
Nil ſimile oſtentant intra pomœria muri,
Utcumque celſo vertice intrent nubila.
Urbs magnum, quæ magna, malum; ſua gaudia perdit,
Aliena numquam capere, vel raro, poteſt.
Præterea Procerum pompam comitantur inanem
Mores eodem plurimùm tincti ulcere.
Picta domus, picti vultus: ſed et intima mens eſt,
Animique facies picta mille fraudibus.
Veſtimenta ferens Tyrio fucata veneno,
Haut alia, quam fucata verba proferet.
Candida Simplicitas, non te turrita Cybelle,
Sed vos Napæas ornat, ac Dryades decet.
Quàm bene diſpoſitum; quadrent ut Civibus ædes,
Iſtiſque Cives, vimque de Laribus trahant!
Menſa, focus, ſellæ, thalamus, ſunt omnia marmor:
Marmoreus ipſe Dominus, ac crudus Nabal;
Et Niobe conjux, duplici ſub fornice vivens:
Ut nomen unus nobilis probri ferat.
Quando breves caſulas veteres ſubiere Sabinæ,
Genas peruſtæ ſole, calloſæ manus,
Sed caſtæ. qualis ſtellata in cyclade jam nunc
Tam rara ſudat, quam per Ægyptum pluit.
Diſpice, quid plateæ faciant, ubi Pyramis exſtat:
Circos Caryſtus, templa formavit Thaſus.
Vix Æther radium infudit, vix mane feneſtris:
Tumultuoſi Scylla jam latrat fori.
Fluctuat ambiguo jactata Pecunia vento:
Avidos habendi ſorbet æſtus vorticis.

Invidiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Invidiæ lucroque vacat Mercator avarus,
Totoque verrit Orbe congeſtas opes.
Hoc tamen infelix, partis quod neſciat uti,
Aut mentis angor & flagella non ſinant.
Pone epulas, diſperge crocum, diffunde Falerna;
Sedet profundo triſtè jejunus metu.
Ruſtica paupertas, ſolo contenta ligone,
Quo cœpit eſurire, ſe ſaturat loco.
Stiva dabit menſam. facilis cibus allia, cepæ,
Miſtæque pultes hordeo, fabis olus;
Et ſi quæ decerpta recèns vel mollia fraga,
Vel dura corna grandis uxor afferet.
Fuſca quoque approperat componere Filia menthas,
Criſpamque poſcâ macerare braſſicam.
At Gnatus capræ lac ſimæ, ſimus et ipſe,
Fert in ſalignis cum favo mulctralibus.
Plauditur, exſultans tacto teſtatur aratro
Ventri Colonus ſapore morato dapes.
Faginei tunc anſa ſcyphi, quæ fertur in orbem,
Siticuloſos imbre dulci proluit.
Nemo cado metuit. nitidam prope rivulus undam
Vehens, jocoſo lenis obſtrepit ſono.
Interea cantu volitans permulcet alauda,
Ictamque ſurſum ſcribit auram circulis.
Laſſa, pedes juxta, aut gyris quandoque peractis,
Prandentis ipſum vomerem cadit ſuper.
His, reor, illecebris villas ſectatur amœnos
INGELIUS, urbis feſſus, & ſatur fori.
Quæ vacat à Cauſſis jucundæ portio vitæ,
Tota erudito conſecratur otio.
Quin etiam in turba, magnæque Penatibus aulæ,
Sapiens quieto ſe receſſu vindicat.
Fortunate Senex: quamvis abeuntibus annis,
Retines honeſtum lucis uſum, bis tuus.
Alter in exculto felix Hortenſius horto,
Reficiſque vires atque fandi copiam;
Pulvereiſque domi plenos Ciceronibus æſtus
Calens opaco temperas umbraculo.

Dumque inter floreis graderis, devexior ætas
Iuveneſcit unà cum juventa germinum.
Ad violas, ad prima roſæ ſuſpiria, verno
Te quoque tepore dulcè ſentis imbui.
Nec, ſi contriſtet tempeſtas horrida cœlum,
Aquilo viretis noceat idcirco tuis.
Eſt nemus Aonium tibi; ſunt Heliconia Tempe,
Tybur Latinum, Silva Muſarum capax.
Lucus, ubi citharæ vocali ex ilice pendent,
Digniſque laurus creſcit inhians crinibus.
Perſultat medium paſſu modulante caballus,
Quartique fontem ſolvit incuſſu pedis.
Ille fremit, numenque & fumum horrore rotatum,
Bullis remiſcet ſpumeis per aream.
Donec in aprico jam margine, proximus ori,
Fatidicus humor ſtagnet, invitans bibi.
Hinc bibis: hinc tecum ſeſe BARLAEUS inundat,
Collo tenus ſtans in tremendo gurgite.
Cumque adeo noſtrâ facundia frangitur arte,
Uterque vates increpatis barbitum.
Unde, velut cygnis intus morientibus, Odæ
Fatis Olorum conſonantes effluunt.
Mirantur Reges, & claro munere penſant,
Ne tantùm inani laus vapore fulguret.
Audit et has poſitis ridens Tritonia criſtis:
Veſtriſque plectra Phœbus admovit ſua.
Forſitan et Satyri ſtantes ad limina furtim,
Hirſuta digito labra ſæpe comprimunt;
Ac quoties reſonant arguto pollice chordæ,
Aures acutas obſtupentes ſurrigunt.
Fortunati ambo. Tanti eſt ſecedere poſſe,
Et à profano ſegregem vulgo eximi!
Hoc nemus, hoc pagi præſtant vineta ſequeſtri:
Hoc ſolitudo feriantis efficit.
Nullus in urbe ſacer; vel ſi ſacer ullus in urbe
Poëta, ſaltem mente ruſticabitur:
Inter aves, inter fagos habitabit & alnos.
Hîc domuit Orpheus flumina, hîc traxit feras.

O bene, quod tanti ſtudiis auctoris inhæres,
    Et amica jungis vota, REINERO ſate!
Sic ABDOLONYMO longe feliciùs ipſo
    Canorus ævum, Flacce noſter, exigis.
Sive igitur Batavum Mavors circumtonat orbem;
    Formidoloſa nil moraris claſſica.
Seu Braſilas pelago ſubvectat navita cannas;
    Deos in horto littorales concinis.
Per mare, per terras diverſa metalla petantur;
    Intra fodinam pectoris jam poſſides.
Argentum in niveis, gilvis in floribus aurum,
    Non eſt voluptas nulla, demirarier.
Vive, vale, Diis chare Senex! mea ſtamina jungo.
    Fruſtra. perennem quiſque ſe ſolo facit.

AD AMICUM,
Petentem aperiendis Lyricorum & Silvarum Arcanis clavem.

ODE IV.

NUmquam prodere te velim,
    Carum Diis mediis ac ſuperis caput!
Qui me, quique meam frequens
    Muſam ſollicitas: ut nitido palàm
Vultu ſe ſinat adſpici;
    Exſertoque ſinu prodeat in forum.
Fruſtra. nam prohibet pudor.
    Muſam vela decent, qualia Virgines
Caſti nominis Italas.
    Nec Cumana Phrygi cuncta recluſerat
Vates: ut nihil abditum
    Intra fatidicum linqueret oſtium.
Exemplis ego grandibus,
    Dulces nequitias, ſed tolerabiles,
Inſons ſic foliis tego:
    Ut qui Pieria carpſerit hæc manu,
Paſcat ſe precioſiùs;
    Et dicat: Subolet; non tamen erui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Rupem ponè biverticem,
Cortinamque latent plurima Delphicam,
Irritantia Flamines.
Sint quædam, cupidi quæ bene neſciant;
Rimenturque tamen ſeram,
Affundantque Deo vota Patulcio.
Spes blandas acuit labor.
Auget cura, ſuum ſedula gaudium.
Pugnanti ſpolium ſapit,
Cujus nidus avis quæritur, optima eſt.
Vileſcant mihi paſſeres,
Vicis & plateis omnibus obvii.

AD ANDREAM CORONARIUM BURGENSEM:

Quum celeberrimæ Congregationis Macilentorum ſupremus Moderator electus, ſollemnibus auſpiciis renunciaretur Idibus Auguſti, M DC XLIV.

ODE V.

SI dignos veſtigat Honor, ſequiturque fugaces;
Quo more Daphnen Cynthius:
Jure capis noſtras, Præſul Burgenſis, habenas,
Obnixus his fortiſſimè.
Non tot ad Elei ſtadium luſtrale Tonantis
Acres anhelarunt equi:
Martius explicuit nec tot ſuffragia campus,
Prenſante plebem Conſule:
Quot ſubiere viri, Faſceiſque & culminis hujus
Exambierunt arida.
Unicus è multis dignus tam magna mereri,
Voto potiris omnium.
Quanta repugnantis niveo de pectore ſigna
Palàm dediſſe vidimus!
Erubuere genæ. faciem circumfluus ignis
Pudore miſtus proluit.

Auditæ

Auditæ voces elephanti dente notandæ,
Et in tabella cedrina.
Quo merui facto ſummi faſtigia Juris,
Rudi juventâ floridus?
Tam defecati nondum mihi corporis umbra
Inter ſodales obtigit:
Et Maneis, Larvaſque regam terrore verendas,
Patrique Summano pares!
Nullus in aurigam, niſi frena capeſſere norit,
Plauſtri recens admittitur.
Nemo ſubit ponto, niſi quem firmaverit uſus,
Torquere clavem Caſpio.
Nil agis. averſo pede rectius itur in altum.
Invitus ambis gloriam.
Aſſueto Quinctus ſic eſt divulſus aratro,
Romamque juſſus pergere.
Talis erat Curius, medio cui lictor in horto
Cinctus ſecures prætulit.
Dilectam Maciem quantò ſubmiſſiùs ornas,
Tantò micat ſublimior.
Huc rigor, & ſolidi vis ardua duxit Honeſti,
Hirtuſque vertex crinibus:
Virtutiſque fames, & hiulci gratia vultûs,
Et oſſa pænè exſtantia.
Accipe commiſſam ſignato nomine gentem,
Et diſce curas nobileis.
Pallida jam gaudet regio. genialibus Umbris
Jam cœna ridet lautior.
Te propter lætos agitat Libitina triumphos:
Tædæ flagrant cupreſſinæ.
Seque, ſuoſque tibi canis veneranda vetuſtas
Commendat Antiquarios;
Et ſic affatur: Nomen ſortite CORONAE,
Alumne dulcis funerum,
Indue Pythagoræ frontem, rugaſque Catonis,
Et Socratis rubiginem.
Quidquid Diogenes Cynicus latravit opaci
In umbilico Dolii:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Quidquid nocturno lucratus fonte Cleanthes,
Quidquid diurno Pittacus,
Omne tuum eſt. gracili Domino jam Stoica nutat
Zenoniana porticus:
Seſſoreſque ſuos preſſis cum legibus offert,
Dicto paratos obſequi.
Ut Senecam de fonte bibas, tibi flumine prono
Bætim relaxat Corduba.
Sub tua jura fluit Naſonis copia, Sulmo,
Et Mantuanus Mincius.
O ergo concede lubens, humeroſque ruenti
Suppone Cœmeterio.
Sit votum, quodcumque juvat! felicia cœptum
Opus ſecundent omina!
Sit Fatum, quodcumque cupis! Fortuna nec auſit,
Nec poſſit obluctarier!
Sit factum, quodcumque jubes! paremus ovantes,
Et poplites ſubſternimus.

FABULA
DE HERBA TABACO.
ODE VI.

TEmpore, quo Natura parens impingere cœlo
Inceſtos fuit auſa gigantes:
Non procul umbroſa ſtatuebat Jupiter Idâ
In Fauni convivia ſaltu.
Læta dies Baccho, ſolemnia lucis agenti,
Exciſus qua poplite Patris:
Quaque triumphatos Thyrſo ſubmiſerat Indos,
Lynce redux ad ſidera vectus.
Id tamen Armiſono bilem concivit & iram,
Credenti ſua numina temni.
Se ſine bella geri! regnumque immane Lyæi
Vitiferis ſuccumbere telis!
Reſpuit infameis epulas, & ad Orgia Mavors
Detrectat celebranda venire.

Nectare

Nectare ſubmoto (Bacchi datur iſtud honori)
Vina cado ſpumantia manant.
Circumeunt Satyri, præcinctaque nebride Mænas,
Et Dominis, Dominumque miniſtrant.
Purpureo fluit amne merum. pater Evius aurum
Flore capax & fronde coronat:
Crateraſque offert Genitori, hederæque corymbis
Labra ſcyphi redimita propinat.
Interea, dum per turgentia cymbia muſto,
Alterno ſe palmite mactant;
Lætitiam turbat Rumor: conſurgere Phlegram,
Armatum bellare Typhœa.
Motæ centimanos imponere Pelion Oſſæ:
Jamque Hebrum Rhodopenque revelli.
Sed quid Cœlicolæ faciant? jacet ordine nullo
Sub patulis gens ebria ramis.
Ipſe pater Divûm recubans in gramine, ſegnem
Proflabat de pectore ſomnum.
Unica, cum Majo genito, Triviaque, manebat
Fortis adhuc, & ſobria Pallas.
Pallas ait: Video miſceri funditus Orbem:
Terrigenæ luctantur in aſtra.
Vade, age, Diana comitante, Atlantia proles:
Exora ſuccurrere Martem.
Ille volat trepidans; (urgent diſcrimina) virgæ
Oblitus ducis, atque galeri.
Dumque nivis Scythicas, et non ſine grandine denſâ,
Heu! tectus malè nubila tranat;
Deciduo ſenſit cerebrum ſtillare catarrho,
Vocis iter glaciante retuſum.
Provida tum calatho promſit Latonia germen.
Hoc lentis mole dentibus, inquit;
Sanus eris. paret. Caput aſſurgente vapore,
Paullatim relevatur apertum.
Miratur titubans: unde hæc inſania cauli,
Et tenui medicamen in herba!
Plura tamen differt: tantumque exponere pergit
Odryſio mandata Tyranno.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Stabat is in curru rigido ferratus, & atræ
Ora fluens caligine cædis:
Audieratque preces. tandem hæc in verba (frementeis
Juſſa tenet formido caballos)
Jamne meam (vultumque minax turbavit ahenum)
Poſcis opem, miſerabilis Evan?
Atqui non noſtro populatus robore Gangem,
Jactaſti victricia ſigna.
Neglexitque Deum, quamvis ſermone modeſto,
Et lacrymis geſtuque diſertum.
Inſtat Atlantiades, animumque expugnat; & urit.
Hinc facies, hinc cauſſa Dianæ.
Ergo truces impellit equos, currumque ſecuti
Exſtimulant in bella Furores.
Quàm citò cum tonitru percurrunt fulmina cœlum,
Sulphureo labentia ſulco:
Adſtitit in campis, atrox ubi pugna gigantum
Torquebant ſuper æthera monteis.
Deſuper inſiluit; primumque Damaſtora corno,
Deinde manu Pallanta trucidat.
Atque obtruncatis Ægæonis anguibus, addit
Enceladum, turpemque Mimanta.
Sternitur exanimis fundo Titania pubes,
Imparibus damnata ſepulcris.
Poſt Pallenæum, conſueta ſtrage, triumphum,
Mercurius ſic inchoat ore:
O Dictynna ſoror, quantas tibi debeo laudes,
Cui liquidam quoque debeo vocem!
Vix potui fletu, facundæque agmine linguæ
Iratum mollire Gradivum.
Flectere quî poteram, ſi raucus & aſper adiſſem,
Atque lupo per confraga viſus?
Ede mihi nomen multùm præſtabilis Herbæ:
Felici quo creſcit in Horto?
Scis, quibus indigeam. Numen commune Deorum,
Sæpe fero non mollia juſſa.
Ad Styga demittor, minimi Jovis ultima clauſtra.
Quantùm illo fuſcamur in antro!

Per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Per tempeſtatum furias, brumæque rigorem.
Per nimbos incedere cogor.
Quid mirum, pituita meis ſi faucibus hæret?
Hanc potes, ô bona Virgo, levare.
Plejade ſic natus. ſic Delia Plejade nato.
Fabor enim tibi, candide Vates:
Quando etiam noſtro, fidicen famoſus, amicâ
Germano ſociaris in arte.
Nuper cùm pictâ pulſarem Mænala bigâ,
Et ſilvæ propioris Amyclas:
Hæſit in auriga noſtro defixa jugali
Spina, pedi nocitura ſiniſtro.
Saucia confeſtim dictamnum bellua quærit.
Vulnus ſanatura cruentum.
Et reperit. juxta, de quo tibi cura, virenti
Molle frutex caput extulit arvo.
Ne fera pollueret morſu, præcerpſimus ipſæ,
Latonæ fratrique ferendum.
Conſultus docuit: nil eſſe potentius illo,
Cum mater tua plorat in aſtris:
Oppletumque hiemis nebula graviore cerebrum
Imbricibus deſtillat aquoſis.
Quippe hujus modico purgari germinis uſu,
Atque ægrum juveneſcere corpus.
Sive laceſſitus linguaque ac dentibus humor
In capitis diffunditur arcem:
Sive ſalutaris cum ſparſa volumina fumi
Cœruleum glomerantur in orbem:
Credat ſe plenum Cypriis abſtemius uvis,
Ac ſaturos hauſiſſe culullos.
Implet enim nervos, penetratque calore meatus,
Ac veluti vindemia ſopit.
Sæpe volutatur vertigine dulcis amari
Miles ovans, ac cornua ſumit.
Et quoniam denteis cervi mordentis abegi,
A cervo voco germen Abactum.
Miſce litterulas, ſubicit Tegeëius ales;
Appelles licet, alma, Tabacum.

Neſciat

Neſciat hoc Bacchus. Bacchus vult omnia prono
Ingenio reperiſſe videri.
Ipſe ego delatum fruticem trans æquora raptim,
Ignotis mandabo colonis.
Hinc capiam vireis, quoties ſtringetur anhelum
Viſcoſo ſufflamine guttur.
Hinc ſuccum bibet & flammas, animumque Poëta,
Fatidico ſapientior æſtu.
Dixit, & Americæ vultum contorquet ad oras,
Quà Braſilos circumluit æquor.
His germen vitale locis, ſolemque precatus
Depangit, comitemque triformem.
Inſula Virginea eſt à virgine dicta Dianâ:
Et retinent hæc tempora nomen.

AD LUCIUM BASSARAM,
cognomento Eglonem.
ODE VII.

BASSARA: cur anhelo
Ore ſuſpiras, quoties eſt ſuperanda ſcala?
Scilicet ille vaſtus
Atque dependens adipati gravat umbo ventris.
Utque velis citato,
Plumbeo greſſu tamen is. jam macer eſſe velles
Protinus, & volare
Sarcina tetri miſera corporis expeditus.
Subtrahe ligna flammis,
Si focum frigere cupis. parciùs, oro, cœna:
Rariùs adde pernas;
Rariùs pulpam leporis. mox levior futurus,
Per juga, perque colleis,
Capreæ ritu ſalies, perque vireta, mecum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

AD GUNDARUM OSCAM,

x Tomos Miſcellaneorum vulgaturum.

ODE VIII.

De ſplendidâ miſeriâ Scriptorum Germaniæ.

I, Non invideo, guſta convicia Famæ:
Nec rude differ opus.
Edere feſtina ſpatioſum ac grande volumen;
Quale tremiſcat Atlas
Ferre humeris; & qui cœlum ſubduxit Atlanti
Amphitryone ſatus.
Scribimus, ac cæcos catulos properamus in auras
Parturiente manu.
Gloria parva ſubit. faſtidia longa ſequuntur
Nominis opprobrium.
Qui ſemel emiſſus, neſcit Liber, OSCA, reverti,
Cypridos inſtar avis.
Per populi volat ora, ſui jam juris hirundo,
Non reditura tibi.
Hoc Alemannus habet. multum magnumque cerebro
Vaſtus inædificat.
Plurima molitur, largoque extrudit hiatu,
Plurimaque eſſe cupit.
Aſtrologus, fullo, pictor, veſpillo, choraules,
Cerdo, poëta, faber:
Et ſuper hæc augur Jovis, interpreſque Deorum,
Cuncta, nihilque ſumus.
Intereà ſpiſſam lato vomit ore papyrum,
Cui ſua ſcita placent.
Turbidus in Famam toto ruit agmine mentis.
Cultiùs ire piget,
Dum citò laudetur, tardum velocibus alis
Evehit ingenium.
Non curat limam, detrectat pumice radi,
Non ſcabit antè caput.
Adſpice, quot chartis prelum deſudet ineptis,
Quàm typus ipſe gemat.

Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Sic Itàlis celebrem riſum, Hiſpaniſque movemus:
Sic jugulatur honor.
Sic opicos mures nutrimus: pabula blattis
Scindimus ac tineis.
Jam nunc ſi recti patiens et amator es æqui,
Conſiliique capax;
Contra torrentem Germani nitere moris,
GUNDARE: nec pudeat
Suppoſitas primis decies mutaſſe tabellas,
Defricuiſſe novas.
Hæreat in vultu nigræ ſuligo lucernæ.
Pollice labra preme.
Rode ungueis, donec cruor exeat. ulcere in illo
Docta Minerva ſedet.
Qui cupit à ſerâ, poſt triſtem funeris horam,
Poſteritate coli:
Sollicitus ſeros veneretur et ipſe nepotes,
Concilietque priùs.
Inſultent hoſtes: fodicet crudelis amicus:
Ne moveare probro.
Hoc abit. at durant tardo molimine ſcripta:
Nec rapit illa Notus.
Solibus à multis Quercus ſtat maxima: fungos
Unica Luna coquit.

AD BARTHOLDUM NIHUSIUM, V. C.
APOLLO. ZEUXIS,
ſive
Somnia Poëtarum.

ODE IX.

Explicat Auctor, per allegoriam Vindemiæ, Somnium, quod lib. VII. *Silv. Ode* XV, *deſcripſerat*
ANNO M DC XLII.

SOmnia quid? nugæ. quæ non ſunt ſomnia Vatum,
Et ipſe nugas dixerim.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Quod tamen accinui, velatque immane Futurum;
Tu Vatis eſſe credito.
Quippe id non atomis larviſque accinctus & umbris,
Ut rebar olim, Phantaſus;
Sed Deus Aonidum nobis, Deus ille, NIHUSI,
Immiſit ex ſacrario.
Myſtica transfumant de quo mea nubila, veri
Non eſt inane dolium.
Pictores falſi nocturnos deſpuo botri,
Cum Morpheo Phometora.
Auctumnos odi fatuos, rabiemque jocoſam
Ludentis in vindemia:
Credulitas quam cæca bibit, deluſa colore
Imaginoſi palmitis.
Veriùs in cerebri tabulam delapſus Apollo,
Bacchi colores excitat.
Nec palpanda manu mendacia futilis uvæ,
Meram propinat fabulam:
Divinos ſed enim Pataræâ è vite racemos,
Qui turgeant præſagiis.
Qualeis famoſi vidit pincerna Canopi,
Ebræus Augur abſcidit:
Expreſſitque ſcyphum, Pharaoni denique dandum
Poſt exſolutas compedes.
Talia Grynæus pingens emblemata, miris
Mentem replevit lineis.
Quamquam haut diffiteor, tunc, cum Somnumque (Deumque
Paſſus figuras hauſeram;
Pandere neſcivi ſub nube latentia monſtra,
Nocte inſolenti territus.
Jam ſcio. paullatim volventia Fata pateſcunt,
Suis ſoluta nexibus.
Vis, ut declarem? facio. ſed carmine nolis.
Sermo pedeſtris explicat.
Vidimus Hiſtoriam: bella, horrida bella, NIHUSI.
Ordimur à Bohemico.
Vidimus, Auctumno jam præcipitante, Novembris
Spumare prela vineæ.

Sor

Sordidus humano Mars ſanguine pinguibus uvis,
Quot amputavit millia,
Afflixitque ſolo, calcataque funera rupit,
Quo more botros ruſticus!
Torrentes rapidi paſſim fluxere cruoris
Cellas in omneis Teutonum.
Expletura ſitim tandem Rhamnuſia vindex
Muſto furoris proluit.
Ebria Gens merita contemti Numinis ira,
Potare fecem cogitur:
Donec ſucciduo titubent veſtigia greſſu.
Eheu! ruunt Provinciæ:
Regnaque, & emotæ vertigine funditus urbes,
Et urbium tecta ambulant.
Nec duplicem Solem, aut Rhenum, geminumque Briſacum,
Sed nil videt Germania.
Cædibus urgentur cædes. albentia preſſum
Morantur oſſa vomerem.
In Dominos ſervi ſurgunt: thyrſumque rebellem
Patri retorquet filius.
Terra movet; pulſuque pedum ciet excita furvos
Maneis ad hoc ſpectaculum.
Sic quondam verſis Lapithas ad prœlia menſis,
Epota movit amphora.
Sic vidi indomitos campo decurrere tauros,
Cum dimicant pro nuptiis.
Hæc aliqua eſt, varia ſpecie portenta ligantis,
Farrago noſtri ſomnii.
Non aliud nemus armiferum, lapideſque caduci
Signant, & urbs in vellere.
Quæ ſit anus, Fluviuſque loquens; cur Semifer obſtet:
Quis Cygnus inter Sidera:
Quid Vaticano moneat de colle Palumbus,
Miſcens olivam laureæ:
Expende, & dices: Cum diis cœleſtibus iſte
Vates habet commercium.

D. Pa-

D. Patriarchæ IGNATII Exercitiorum
HEBDOMAS PRIMA.
In gratiam nobiliſſimi Iuvenis,
FRANCISCI PALMENII.
ODE X.

INtra cubile, PALMENI; nil territus
Pinguis loci convicio.
Majora, quam ſeptena, quæ mundus ſtupet,
Videbis hîc miracula.
Sed non feneſtris eſt opus patentibus.
Occlude valvas penſiles.
Satis ſuperque, per foramen vitreum
Immiſſa lux monſtraverit.
Caligo quædam dulcis, accendit magè
Frontis gemellum Caſtora.
Ut ex profundo fontis obſcuri lacu,
Si deliteſcens ſuſpicit;
Sparſos volantum fertur aſtrorum choros
Claro tueri de die.
Attolle, Juvenis, mentis erectum jubar,
Viſu columbæ ſimplici.
Reconde vano, quidquid Argi duplicis,
Seu lyncis eſt, in corpore.
Convexa ſcis ad ſupera, ſervum Numinis
Te liberalis conditum:
Non turpis alvi, ſive paſtûs gratiâ;
Ut vile terrarum pecus.
Agnoſce munus, & tuorum gloriam
Indebitam Natalium.
Ab hac nec annus, nec dies averterit.
Non dulcis Auctumnus, Gula;
Non Ver, Voluptas blanda; non Æſtas, ſitis
Inſana; non Hiems, fames.
Non gladius anceps, non tyrannorum metus,
Non nuda telorum ſeges;

Non

Non ſi tonanteis nubibus ruant equi;
Orcus nigranteis evehat.
Per utramque ſortem, ſors beata Cœlitum
Digna eſt, ab indignis, peti.
Tacturus iſtum cordis amento ſcopum,
Huc, huc in altum nitere.
Aſſueſce, primo ſtans adhuc in limine,
Cœlo ſupinus erigi.
Arcana noſtri ſi capis Præludii,
Haut indiges collyrio.
Oculos ab omni fece purgatos habes,
Multæ capax imaginis.
Quum ferreis ſuſpenſa cortinæ rotis
Dimovero velamina:
Tunc clariores imbuent radii tuam
Amœnitate pupulam.
Sed, ut ſoporem dormiens, acutiùs
Clauſo videbis lumine.
En delicata, PALMENI, tapetia,
Artis ſacræ compendium.
Illiteratus iſtâ Manreſæ datur
Neviſſe quondam Cantaber.
Felicitate nil pari confecerit
Manus Phrygum doctiſſima.
Fama eſt, et ipſam Nazareni ſanguinis
E flore natam virginem;
Ut acûs perita matre præ Phrygia fuit,
Admoſſe cœleſteis manus.
Hem! cuncta vivunt & moventur, PALMENI,
Immota quamquam & mortua.
Audire riſus, & loquelam te putes,
Et lacrymas de ſtamine.
Quamvis eodem Tela ſpatio ſingula,
Carens profundo, terminet:
Exſtare prima, media non decreſcere,
Diſtare credas ultima.
Hinc ordiamur. Genius, ecce, flammiger
Purum natat per aëra:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Jubarque tantum fundit, ut ſplendentium
Reſtagnet alarum nitor.
Michaelis os humeroſque, formâ (ſpiritûs
Cœleſtis) humanâ vides.
Auguſta facies flore juvenili rubet,
Magni tumultûs conſcia.
Riſu ſevero, quo quis hoſtem ſpreverit,
Decenter os diducitur.
Promiſſa collum luce cæſaries rigat.
Stellata frontem crux premit.
Thorax ahenus. inde ſuris influit
Veſtis rubens ac cœrula.
Nam gemina velat: longior brevi ſago,
Breviorque talari togâ.
Pars undulatæ chlamydis, & pars faſciæ
Pendens in aura fluctuat.
Utrumque teretes ambiunt ſocci pedem.
Dexter retractus abſilit.
Deprœliantis forma, molem corporis
Obliquat in lævum latus.
Mediâ lacerti parte nudi dirigunt
Librata conti pondera.
Sub calce quidam cœptus immutarier,
Ceu ſideratus, obſtupet.
Heic ſumma rerum, cardo belli vortitur,
Ipſius imo et Tartari.
FRANCISCE, credis? qui jacens aſſibilat,
Crinitus atris anguibus:
Fuiſſe dicit omnium pulcerrimus,
Ceu Phœbus inter ſidera.
Et hoc negat negare victorem ſuum;
Utcumque nunc præfulgeat.
Quianam ſupremis Excidiſti. ſedibus,
Exorte mane Lucifer.
Priùs igneorum gemma lapidum, jam nigro
Carbone ſordes fœdior.
Vigiles inane virus exſpuunt comæ:
Riget Meduſæum caput.

Degeneris alta fax pyropi, lividam
Subſedit in ſartaginem.
Flagras. periſti. multa tecum millia
Mutata larvis hiſpidis.
In hanc ruinam contumacis unicum
Traxit ſcelus ſuperbiæ.
O ergo remis illud ac velis fuge.
Culpæ nocet vel halitus.
Cœlicola princeps, ſi ſub ima Tænari,
Detractus eſt rudentibus:
Quid terra vili macerata ſanguine,
Lutumque ſperet fœtidum?
Speculemur Hortum: cujus in medio ſinu
Fatale par mortalium,
Ducebat hilares, ſponſa cum ſponſo, dies,
Coſtæ mariti filia.
Poteratne Adami; poterat Evæ, virginum,
Fingi ſtatus beatior?
Nemus illud, in quo degere ætatem DEUS
Utrique jucundam dedit;
Manabat omni gaudiorum copiâ,
Nullas vices paventium.
Irrigua tellus quattuor fonteis bibit,
Fecunditatis oſtia.
Zephyrus feracem glebam araturi manus
Prævenit almo flamine.
Suaque ſponte roſcidis ſilvæ comis
Riſere, campi floribus.
Heic, illa Noſtra, & ille Noſter, hoſpites
Vixere ſano corpore.
Vixere nullis febrium, vel aëris
Injuriis obnoxii.
Calx ambulantum quidquid attigit, roſa,
Vel mollius roſâ fuit.
Acceſſit inſons grex adulantum latus
Herile circumſtantium.
Servitia, varias Terra produxit feras,
Ut belluatus fert tapes.

Miſcebat æther alitum ſymphoniam.
Sicut vides in æthere.
Quoties Aëdon, multiplex de populo
Ad carmen invitaverit!
Quoties ocellis pavo coràm cernuis,
Et ponè & antè luſerit!
Atque ut referret laudis aliquod præmium,
Caudæ explicarit ſyrmata.
Aſtravit ungueis hinc leæna ſupplices,
Hinc prona taurus cornua:
Maculoſa pellem tigris inde languidam,
Barri ſuas proboſcides.
Et, en, ſubactis cuncta filis callidus
Ut artifex digeſſerit!
Veram leænam, vera tauri cornua,
Veras putes proboſcides.
Dat acus virere germinum mendaciis:
Pictis dat undis vivere.
Quaterna devolvuntur, atque textili
Manant ab oſtro flumina.
Quid hoc? colores fece paullatim nigrâ
Mutantur in deterrimum!
Infecta diris lana tempeſtatibus
Spirat minas & nubila.
Ex nuptiali funebris fit ſindone.
Videſne tectos pellibus?
Lacerata vento, vela mali naufraga,
Vidi minùs deformia.
Immane noſtèr Phrygio conatur malum
Hoc indicare ſtromate.
Latet venenum. numne ſerpentem vides
In arboris faſtigio?
Caudam retorquet blandiens, & faucibus
Malum propinat aureum.
Spectavit, arſit, carpſit, olfecit, (nefas!)
Malum momordit femina.
Hominique Primo vix Secundus detulit;
Et interemit conjugem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Hinc iſte ſqualor, harmogeque lurida
In ſtamine illætabili.
Serpens ab imo ſerpit ex ferrugine,
Filis decorus aureis.
Tumenſque ſpiris colla, & argutum caput,
Diſcriminatur iride:
Pars flava pomi, flavet et ſubtegmine.
Pars rubra, propter muricem.
Stat læta foliis arbor, & ſuccum trahit
Ex ſericis radicibus.
Trepidos parentes fecit erubeſcere
Diluta byſſo purpura.
At lacrymarum mollius fuſum cadit
In ora guttis oblita.
Ora fugientum, & laneos ſequitur pedes
Pudore configens acus.
Miſerande pomi fur, Adame, ſontici!
Unum per, heu! jentaculum,
Suum & ſuorum pariter, ingens helluo,
Decoxit omne prandium.
Jamne ergo ſentis noxiæ bolum gulæ,
Quo devorantur numina!
Exinde totum, quod nepotes poſſident,
Eſt noxa, patrimonium.
Te, noſque morſu perdidiſti, ah! unico,
Monſtrum furoris prodigi.
Latro priùs quàm genitor; & tot millium
Homicida, quàm verus pater.
Ubi nunc placentis ſunt doloſa ſibili
Promiſſa de cacumine?
Pejus fuit vero angue, quo falſus tuam
Pellexit anguis pellicem.
Adamus, ecce, Numen eſt! ſed improbis
Terram rigat ſudoribus:
Poſt tot labores, præter horrenteis rubos
Spinaſque laturam nihil!
Ad aratra cogi bos recuſat, & ſtupens
Acerba torquet lumina.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Immugit etiam vacca præbens ubera,
Mulctramque ſubvertit pede.
Stridet elephantus. cerva damnatum fugit,
Tamquam inverecundum canem.
Quin omnis avium turma ridet exſulem,
Et ingerit dicteria.
FRANCISCE, tanti conſtat, impio DEUM
Spreviſſe faſtu vindicem.
Atqui, vel unum tanta pœnarum ſcelus
Secuta ſunt examina.
Quæ nos arenam littorum exæquantibus
Supplicia depreſſos manent!
Ambitio titulos jactat: elatos vapor
Percellit œſtro gloriæ.
Nullus ſtatuitur opibus atque ærario,
Nullus voluptati modus.
Epulatur urſus venter, & pingui tumens
Diſtendit ollâ tympanum.
Popina fervet; turbidæque faucium
Per cola ſidunt vineæ.
Laniena fibræ quanta ſerpit invidæ,
Quum triſte cor depaſcitur?
Feralis ira, nullius freni memor,
Mucrone diſtricto furit.
At crimen in quem ſævit? immenſum, reor,
Cunctis priorem ſeculis.
Qui finis expers, hanc triformem machinam
Volâ manûs complectitur.
At unde crimen? vermis ex putredine,
Cadaveroſo fictili.
In juſtum iniquus peccat, in mitem ferox,
Amarus in dulciſſimum.
Domino rebellis ſervus inſultat; patrem
Honore fraudat filius.
Cui comparati, pænè non, vel vix, ſumus:
Inſtabile cum ſimus nihil.
Exigua fruſta generis humani, duo,
Quantilla mundi portio!

Obnube, clama, PALMENI, Titan, tuos,
Obnube, vultus, Cynthia,
Sol, Luna: cur adſpicitis ingratum? aut ego
Adſpicere funeſtus ſinor?
Aquam expiantem quis dabit capiti meo?
Quis vertet illud in mare?
Ut, quot capillis antè ſurrectum ſtetit,
Sparſum fluat tot fontibus.
Commiſſa plorans, luctu ineluctabili,
Plorabo, pernox, perdius.
In me triſulci fulminis nubes ruant,
In me ferarum exercitus.
Dehiſce penitus triſte clauſtrum ſontium,
Subducta tellus excipe.
Torques minoreis igne ſapienti Reos:
Parcis Reis majoribus!
Conſurge, Juvenis: atque tantiſper trucem
Subſtringe fletûs impetum.
Jamque intuere (reſtat ultimus tapes)
Æternitatis carcerem.
Vivens videnſque, ne cadas huc mortuus,
Deſcende in infernam ſpecum.
Quòd ſæpe Judas proditor, quòd aureâ
Pilatus ex lamnâ micant:
Debent Tabellæ; Chriſtus in qua vel lavat,
Vel judicandus ſiſtitur.
Aulæa talè pulcra dic Plutonia.
Nec artem in his deſideres.
Juſti triumphum pictor admirans DEI
Miro elaboravit modo.
Dilucet ex hoc elegans texto chaos,
Tremorque Damnatos decens:
Et luctus, & confuſa leti copia,
Viſumque delectans dolor.
Quædam voluptas eſt Stygem prætervehi,
Et ſapere vicini malo.
Precioſiora numquam acus ludibria
Gemmante telâ miſcuit.

Miſeros ſmaragdi nocte perpetuâ premunt:
Amathyſtus accendit pyram.
Flagrantiorem lana reddit OEbalis,
Spumæque flos Sidoneæ.
Simulatus ignis ficta lambit corpora,
Sequente fila ſulphure.
Vix verus ignis arſerit vivaciùs,
Ætnâve ſulphur erutum.
Tam vultuoſas, totque cruciati, notas
Et ejulatus exprimunt.
Innumera per tormenta pecten Dædalus
Diſtraxit umbras coctiles.
Audis frementum murmur? audis in rogo
Lamenta ſingultantium?
Naſum ſagacem ſiquis admoveat prope;
Et fumum odorari poteſt.
Sunt heic procellæ, flammeique vortices:
Eſt frigus acre dentium.
Rabiemque ſiccam prodit uſti gutturis
Siticuloſa carbaſus.
Nondum caducis vultus humet imbribus?
Nondum riges formidine?
Neſcis, eodem meritus includi cavo,
Quoties barathrum evaſeris?
Jam tempus, & res, flebileis Auſtros vocant.
Permitte habenas lacrymis.
Laxa patentem, cordis eluctantibus,
Laxa ſinum, ſuſpiriis.
Jam venit imber? jam dolores rugiunt,
Oculiſque torrens effluit?
Sic, ſic petenda eſt venia. ſic dabitur reo,
Eluta poſt piacula.
Hæc pluvia ſterile pectoris rigat ſolum,
Sataſque virtutes fovet.
Proſterne corpus: perque fuſum ſanguinem
Pendentis ex hoc ſtipite:
Per quina, perque vulnus unum, vulnera,
Mortemque vitalem tibi;

Sancire firmum cum DEO fœdus ſtude,
Quod nulla rumpant tempora.
An ſcelera turbant? Virgo, quæ genuit DEUM,
Adhuc parit fiduciam.
Confide Matri. gnara, Cauſſæ non bonæ
Patrona fiet optima.
Nato Tonanti ſæpe fulmen, comiter
Et clam jocata ſurpuit.
Confide fili. ſi tuam concuſſerint
Inimica mentem flamina:
Si ventus urens volvat æſtum: reſpice
Stellam maris; de turbine
Voca MARIAM. picea ſi nox ingruit,
Si tetra deſperatio:
Mergenda jam jam cymba ſi ſtygiis prope
Fatiſcit undis: reſpice
Stellam, voca MARIAM. in hoc caliginis
Nimbo MARIAM cogita:
Supplex MARIAM, de profundis, invoca,
Ut eruaris, fluctibus.
Poſuere venti. nube depulſa redit,
FRANCISCE, ſol formoſior.
Fugiunt timores. ſpes ſubit præcordia,
Mulcetque tantò ſuaviùs.
Contigua lucem quippe nox contrariam
Irritat, ut ſit gratior.
Remeas Averno liber in cœlum. ſacri
Hic fructus eſt ſpectaculi.
Quare et Tapetis myſtici pars ultima
Vernante ludit margine.
Intextus æther fuſiles jacit roſas.
Quot fila, tot ſunt ſidera.
Si vota mentis ac pium cupidinem
Hoc ſæpe ritu paveris:
Ut curioſa fortè ſit felicitas,
Damnoſa ſaltem non erit.
Facieſque pluris, quàm tabernas Zeuxidis
Luſtraſſe, vel Rubenii.

Abiturus iſtud, PALMENI, fatum cape,
Fixumque & indelebile.
Mundum lucranti, quantus eſt, me perdito,
Quid cuncta proſunt cætera?

AD GUILIELM. LEMONIUM GAGEM,

De Scytale ſua Laconica.

ODE XI.

Petenti explicationem Odæ XVI lib. VII
Silv. reſpondet Auctor.

Alluſum eſt ad Oden XXXII lib. III Lyric.

PArce, puſille GAGES, Scytalen contingere noſtram.
Eſt mus et hæc araneus.
Dente minax Satyra
Mordet. nec Lybicos eat Amphisbæna per agros,
Quamvis biceps, nocentior.
Ut Salamandra furit.
Ipſe ego, cum ſecui caput à cervice, veneni
Metu tremens expallui,
Depoſuique Lyram.
Debueras potiùs colubros optare Meduſæ
Aſſibilanteis objici.
Sauciet iſta minùs.
Provida truncavit collum manus; atque reciſis
Virus coëgit faucibus
Exitiale mori.
Caudaque dumtaxat, ſed et hæc exterſa, relicta eſt.
Efflavit omnem viperam
Sub pede preſſa meo.
Tu tamen et frontem monſtrari Carminis optas:
Malleſque toto neſcius
Peſtis odore frui.
Sollicitanſque fidem dubitas, an forſan amem te:
Pollux ſuum, nil ambige,
Caſtora fidus amat.

Ah peteres aliquid, quo ſe meus indice, dona
Sparſurus in LEMONIUM,
Prodere poſſet amor.
Quid petis ô Phaëthon, currus caſure paternos?
Equos tyrannos tradidit:
Non fuit ille parens.
In melius, quæſo, differ crudelia vota.
Ne feceris piaculum,
Quem cupis eſſe tuum.
Opta, quod lætus poſſim dare, tuque mereri.
Serpentis urit fervidum
Dira cupido jecur.
Indulgere, nefas. anguis proſtravit Ophelten,
Sed noſter, ipſos Hercules,
Archemorumque necet.
Poſce meam Citharam, pulcrum nec inutile munus.
Silvas obi Parnaſſias:
Omnia ſerta feres.
Dum Scytalen nolis totam extorquere neganti:
Ex ære noſtro quidlibet
Poſce, puſille GAGES.

AD PETRUM KAZIUM.

ODE XII.

Res-publica bene ordinata.

CRedis tu veteres Romulidas, conſilio ſine,
Præfixiſſe diem Fabricii faſcibus annuum?
Quo lapſo, fieret pars populi rurſus, in ordine
Communi monitus depoſitis ſtare ſecuribus.
Quâ triſteis Gabios Conſul ovans perdomuit, ſimul
Enſem condiderat, laurigera ſevit agros manu.
Hujus, quæ petitur, ſumma fuit gloria, terminus.
Quid nunc, PETRE, querar? tempore, quo facta Potētia
Dictatura tenax, ſe retinet. captat Honor viros,
Sicut viſcus aves; inque Aquilas mutat aëdones,

Nidos fulmineo ſæpe replens igne tyrannicos.
Non ſe, non ſua circumſpiciet magnificè; neque ut
Adſpectis tumidus ſideribus pavo ſuperbiet:
Qui cras aſtra ſciens deciduis poſſe coloribus
Ex toto perimi; quiſquis erat, lege jubebitur,
Vilis, pauper, inops, cum reliquis vivere graculis.

AD LEONARDUM CREDERIUM S. I.

De ADAMO HOLIO, *Collegii Monacenſis Olitore, Panegyricon Lyrico-bucolicon, ipſis Saturnalibus* M DC XLV.

ODE XIII.

Accipe, taurino quæ torſi carmina nervo,
Populea, LEONARDE, ſub umbra.
Vera loqui, tu teſtis eris. Deſcribere noſtrum
Dulcè furor ſtimulavit ADAMUM.
Non ſolitis uſus numeris, Citharâve roſarum
Florenti velamine pictâ;
Faginei ventrem cunei, quem fortè cavatum
Per ſilvas invenerat Idmon,
Haut in non incompoſitæ Teſtudinis uſum,
Faunorum conamine, verti.
Quem ſuper expandi corium bovis, haut minus illo,
Ajacis quod ſcuta ferebant,
Deinde caput placuit, poſita lauroque ederaque,
Chaoniis incingere ſertis.
Utque calor Mentis digno conſurgeret æſtu,
Lemniacos æquante vapores:
Allia trita priùs, fruſtumque immane Tabaci,
Et fragrantia grana ſoporem,
Et quidquid poterat nodoſum claudere vitrum,
Cumque thymo coliphia ſumſi.
Hoc habitu, LEONARDE, tibi mirabilis Odæ
Robuſtam ructavimus offam.

Cui genium, laudeiſque, & facta, & nomen ADAMI,
Cum cepis intrivimus albis.
Ætatis mediæ, non eſt procerior æquo,
Nec nodo breviore ligatus.
Juſta mole vir eſt. facies germana coloni:
Invideat cui forma Menalcæ.
Non ignavus adeps fluit ex abdomine pingui:
Sed ſolido ſtant robore vires.
Crinitus rigidis vertex haſtilibus horret:
Frons totidem, quot jugera, ſulcis.
Denſa renodatas exæquat palpebra ſetas.
Fax oculi, velut abdita lampas:
Nec nimis obſcuro, nec claro lumine, juſtam
Temperiem moderata videntis.
Scintillæ abſiſtunt, qualeis ſcarabæus in ala
Adverſis fert ſolibus ictus.
Villoſum pectus ſi oſtendat Palladis armis;
Terreret quoque Gorgonis angueis.
Vena per exſertos currit ramoſa lacertos.
Exſertos quod dico lacertos:
Jure, leonino verſu cano jura leonis,
Maſſylos poſcentia ſaltus.
Hiſpida barba, jubæ ſimilis. manus utraque bellum
Centauro motura bimembri.
Nec dubitem, ſi Theſſalica concurreret orno,
Rapturum quoque præmia belli.
Deucalionæi ſi non eſt fabula jactûs,
Stirpſque ſumus non mollior Oſsâ:
Hujus avos inter maris Acroceraunia, primos
Cenſuerim, ſcopuloſve Pachyni.
Saxa ſpuit, loquitur ſilices. ſtridentia verba
Vel marmor diffindere poſſint.
Viribus ex æquo reſpondet cura laboris,
Calloſum reddente ligone.
Totos ille dies plantis impendit, & aſtris.
Sub dio ſitit, æſtuat, alget.
Tamque ſolum ſudore rigat, quàm fonte recenti,
Cum pluvias ſuſpendit Orion.

Ruſticus

Ruſticus accedit Mentis ſuper omnia candor.
Robur apri, cum laude columbæ eſt.
In pago natus, quid ſit peccare, peritâ
Ignorat feliciùs Urbe.
Priſci moris homo ſimplex, ſine crimine vivit
Bucolicæ pietatis amator.
Verum non occat, ſed glebâ prodit apertâ.
Verba ferit ſpirantia pacem.
Innocuus linguæ vomer. nullius honorem
Hoc oris proſcindit aratro.
Mordaci numquam ſolitus convellere famam
Alterius, vel frangere raſtro.
Sed neque falcatis metit ullas dentibus aureis:
Nec lolii diſcrimina carpit.
Inque ſuas tantùm convertit ſarcula noxas:
Ne cordis dominentur avenæ.
Cætera ſollicitus minimùm: quid Iberia jactet,
Quas voces nova Gallia fingat.
Quid Dacus vel Cimber agat, quid Belga vel Anglus,
(Sancta cano compendia) neſcit.
Quippe putat Bavaro finiri limite Mundum;
Heic naſci, heic occumbere ſolem.
Sæpe tamen Schvvebos (Suecos vult dicere) culpat.
Hujus enim reminiſcitur hoſtis.
Vitæ parcus amor; nummorum nullus, at ingens
Contemtus mortiſque, metuſque.
Fulmen, & imbriferæ nubis, formidine nullâ,
Miratur laudatque tumultum.
Cum fureret, bellis vaſtantibus, improba peſtis,
Letali diffuſa veneno:
Et jam deficerent numeroſa ob funera ſervi,
Manes pollinctore carerent.
Unus ter denos, nil territus ipſe, ſodales
Intulerat veſpillo ſepulcris.
Vidiſſes faciem portantis in horrea meſſem:
Tam vegetus remeabat ab Umbris.
Nuper eum morbus, timidè, & metuentior ægro,
Tabifico tentaverat igni.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Excuſſit febrim, quo ritu ſpicula cervus,
    Aut motâ cute diſcutit Urſa.
Ubertas hinc lætitiæ reſtagnat in ora,
    Continuus ceu rivulus arva.
Sive bibat Cererem, muſtum exundantis aheni;
    Seu mandat: ſpectare voluptas.
Sic crepitant malæ: plantâ ſic à pedis imâ
    In fauces educit orexin.
Non illi ſapiant pepones, murænave cocta;
    Non patinæ perdice gementes.
Da, quod olus ſevit. ſuperadde tomacula porci.
    Diis cerebrum nectarque remittet.
Ite coronati, mare & omnia regna, tyranni,
    Sacrilegis vexate triumphis.
Iſte Olitor, cœlum, vobis pugnantibus, aufert,
    Cum pala ſuper aſtra vehendus.
Magnus Alexander, fieri diademate, fertur,
    Diogenes voluiſſe relicto.
Aſt ego, ſi propriam poſſem & mutare liberet,
    Optarim pellem hujus ADAMI.
Talia cantabam feſta ad Dionyſia ruri,
    Heidhuſii ſpatiatus in horto.
Cum Satyri novitate Lyræ & dulcedine capti,
    Agreſtem rapuere Camenam:
Mille reponentes informi baſia fago,
    Hirſutis circumlita labris.
Et quia credebant laudatos ſe quoque; Vati
    Parvum donavere ſciurum.

AD ANDREAM AIGENMANNUM S. I.
MEDITATIO MORTIS,
ex interitu arborum.

Quum, utroque ſpectante, ſupra laudatus ADAMUS HOLIUS, *Collegii Monacenſis hortum repurgaret.*
ANNO MDCXLV.

ODE XIV.

Usque adeo nihil eſt, quod non quoq; proterat ætas,
Omnia, fata metunt.
Adſpicis, ut ſtirpes GUILIELMO Principe natæ,
In ſua buſta ruant.
Nobilis impactis ſonat icta ſecuribus arbos,
Lapſaque ſternit humum.
It per utrumque redux, luſtratque bipennifer hortum,
More, Lycurge, tuo.
Quamque notat pomum venis marcere caducis,
Deſtinat exitio.
Vulneribus licet illa crepet, ſimiliſque dolenti
Projicienda gemat:
Quoque poteſt ſucco, ferrum lacrymoſa moretur;
Denique ſecta cadit.
Scilicet humanæ finem ac primordia vitæ
Triſtis imago refert.
Plantarum lictor, ſpeciem mandataque Mortis
Noſter ADAMUS habet.
Arboribus Dryades, nobis nent ſtamina Parcæ.
Utroque fila, ſecant.
Ac fuit, ex feta quando ilice glandifer infans,
Frondifluuſve puer,
In terram cecidiſſe datur; truncoque parentis
Applicuiſſe genu.
Non equidem miror, queis olim naſcimur, iiſdem
Legibus occidere.

Hoc eſt, hoc tantùm queror, AIGENMANNE; (queruntur
Hoc quoque lucis aves)
Naturæ legeis & fixum curat Honeſtum
Mors Olitore minus.
Subſumus Andabatæ. pejoris ſtipite vili
Conditionis homo eſt.
Non rapitur, modò qui materno ſurculus horti
Pullulat in gremio:
Sed vetulæ tantùm ſtirpes jugulantur, & aridæ,
Emeritumque nemus.
Atqui nos, primis qui vix adolevimus annis,
Carpimur ante ſenes.
Additur ad decimam jam ſexageſima brumam
Bruma ſecunda tuam.
Nec ſatur es vitæ. quota, dic, in ſecula tendes?
Quot meditaris avos?
Quam ſilvam annorum ſperas? ſuffecerit ævi
Nulla vorago tibi!
Tabeſcunt puerûm virgæ, juvenumque geniſtæ:
Duret adulta ſalix!
Heu! ſæpe ex humilis lanugo prima myricæ
Decutitur folio!
Tu ſtas interea, barbata annoſaque Quercus,
Canitiemque quatis,
Qualis erat, cujus ramis pendere Gigantum
Jupiter arma dedit.
Nec tamen invideo vitam. ſpatia omnia comple
Pulveris Euboici.
At nolis me ſtagna priùs ſulcare Charontis,
Quam tua fracta ratis.
Semper honorari petitis. præcedite. pompæ
Dignior ordo prior.
Nos procul à tergo ſenium capulare ſequemur:
Servus ut inſtat hero.
Quod precor, hoc unum eſt. Lauri miſerere virentis:
Populus alba, præi.
Ut ſe cumque ferant Caſus & Fata: paremus
Nos, animoſe Senex.

Sanda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Sandapilam, ferro quæ nunc proſternitur arbor,
Forſan utrique dabit.

AD LAMORIANUM GASCONIUM.

De Griphis ſuæ poëſeos.

ODE.

ATqui etiam in menſa mos eſt velare patellam;
Ne muſca ſumen inquinet,
Appoſitumque favum.
Muſca animal crudele, dapes corrumpit, & alis
Unguenta ſtringens, nauteam,
LAMORIANE, creat.
Hac tamen improbior Momus, penetrabile roſtrum
In liba figit Attica,
Ingenuoſque ſales.
Cur mihi ſuccenſes igitur, quod olentia nectar
(Quandoque flammam et ſulphuris)
Carmina pauca tegam?
Ne piger exhalet, ne vis mordentis aceti;
Neve evaporet ſeſamum,
Quo nigra charta madet.
Adverſus diros crabrones munio librum.
Sub involucris nominum
Non reſeranda latent.
Quædam ex compoſito ſollers induſtria celat.
Quod arca furi; Zoilo
Pagina clauſa facit.
Punica nimirum vulgo ne mala paterent;
Velo quaſillum Cordubæ
Texerat ille Puer.
Eludenſque viri curas ſcitantis edaceis,
Abſiſte, dixit, corbulam
Sollicitare meam.
Quæ fero, ſi mater voluiſſet operta videri;
Opus quid hoc amiculo,
Dic, calathoque fuit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Tu quoque, GLASCONI, ſubſtringe cupidinis ig..
Noſtrumque ſæva peſſulum
Parce ferire manu.
Tempore ſubducam. jam ſic quoque multa doloſæ
Vulpes odoratæ ſciunt.
Cætera Vatis erunt.

AD MATTHIAM VELIDIUM.

ODE XVI.

Laudat Auctor Decretum, factum ab ANDREA CORONARIO *Burgenſi, Congreg. Macilentorum Generali; quod ejuſmodi eſt:*

Exſangues & Pallidi, poſt trigeſimum annum, non facilè ſuſcipiuntor.

QUantula nam laus eſt, nomen victoris apiſci,
Non hoſte viſo cominus!
Luctâ opus, ut populi plauſum mereare, ſubactum
Spectantis adverſarium.
Nectere vis apium, VELIDI? præcurre ſodales,
Primuſque metam tangito.
Vis tibi deſponſam Maciem? Schœneïda noſtram
Poſt terga linque prævius:
Et fulvis (id enim fecit Megareïus Heros)
Pomi morare fetibus.
An, quia ſit limax aliquis piger, abſque colore,
Sit ſalpa, ſitve ſpongia;
Idcirco immeritos Atalantæ ſperet amores,
Noſtro labori debitæ!
Diſcant pallentes ſtatuæ, quas vivida numquam
Natura pinxit ſanguine;
Jamque ſciant, quanti ſteterit Victoria nobis
De Carne, contra Bubalos.
BURGENSIS, qui nunc, ſancte viventibus Umbris
Manſueta jura dividit:

Cum

Cum vegetum corpus, cum vis ignita caloris,
Cum frons ruberet purpurâ;
Virtute accenſus, graciliſque cupidine famæ,
Proles velut Neptunia,
Hippomenes alter, Maciem, ſua præmia duxit,
Curſu procatus arduo.
Sopiit eſuriens ignoto gramine denteis:
Ne fex omaſi creſceret.
Continuata genas, Lunaque & Sole vidente,
Exhauſerant Jejunia.
Adde preces lacrymaſque, &, quod ſuper omnia, votum
Immane ſummi Præſulis.
Et nunc ille quidem terrenæ pondera glebæ
Membris revulſit omnibus.
Naturæ domitor, totum deglutiat aprum
Intaminato gutture.
Non adipis tantum protuberet ex bove ſumto,
Aut ex obeſo caſtore:
Quantum parva nucis capiant velamina. Dixi.
Formicâ pænè eſt pinguior.

AD LUCAM CRASIUM.

ODE XVII.

Cuique Suum.

MOroſum eſt animal, CRASI,
Et mentis placidæ vix patiens, Homo.
Conſentire ſibi duos
Rarus ſuadet amor: quî coëant decem!
Diverſis agitabile
Cor deſideriis ſcinditur omnium.
Quæ tu pulcra vocas, *Raſo*
Et *Montovonius* fœda vocaverint.
Rugoſam faciem *Sadus*
Deteſtatur: *Otho*, qui macer eſt, amat.

Birrus

Birrus Pythagoram crepat
Calvi *Maſinius* ſomnia Socratis:
Sed ridentur ab *Aſcalo*,
Præponente ſui carmina Pindari.
Hic tantùm reſonabileis
Commendat citharas. odit *Aſinius*:
Et mavult fieri ligo,
Quam Phœbea chelys. Dicere *Maccaro*
Prurit; nec potis eloqui.
Non prurit *Chamiles* dicere; ſed potis.
Cæcinnam juvat Atticis
Obleviſſe favis ora. patentibus
Labris, Cecropias apes,
Urſo fervidius Sarmatico vorat.
Præfert mel Latium *Briſa*,
Romaniſque animum lævigat artibus.
Deſertis *Bracarodius*
Terris, inſidias ſideribus ſtruit;
Ac cœlo in liquido globos,
Aſtrorumque vigil monſtra natantium
Piſcatur. miſerabileis
Cluvens excubias damnat, in anſerum
Plumas merſus: ut *Orſthenes*
In repleta mero dolia Maſſico,
Naſoque atque oculis tenus.
Mulcet præcipitem laus *Egenuſium*,
Famæ gratus odor. ſuâ
Non carpit tamen ex areola roſas.
Hortis omnibus imminens
Heres, non propriis eſſe laboribus
Conatur celebris. piger
Inventis alibi floribus incubat;
Et fuco ſimilis ſtudet
Partam Funeribus ſugere gloriam.
Carnellum pudeat. necem
Ac tormenta pati malit honeſtiùs;
Quàm circumdata non ſuæ
Dice *Lima* ſago fabula purpuræ.

Eſt *Veranius* in breveis,
In longas *Melio* pronus epiſtolas;
In nullas *Pobius*. brevis
Et longo tamen eſt ille tomaculi
Præ Muſſonibus appetens.
Delectat cupidum diſcere *Marſium*
Umbroſi nemoris quies.
Vitam *Rupilius* per plateas agens,
Tanti Pierides facit;
Quanti plena canis vitra Britannicus.
Quòd clavum regat *Iſmenes*,
Lætatur. d'oleat remigibus *Laſo*
Notis additus eximi.
Nil feciſſe putat ſe, niſi tinniant
Aures plauſibus *Aſmila*.
Altùm *Banda* ſilens, non patitur ſuo
Præcones ſtatui foro,
Adverſus populi murmur aheneus,
Pertæſus male olentium
Curarum, & ſtudiorum, & Tripodis *Plegus*,
Dulci veſcitur otio:
Abjectiſque vacat *Molca* negotiis,
Uſque ad magnificum Nihil.
Tantò plura cupit *Mirnio*, quàm ſinunt
Vires, non ſtrepitu ſine,
Solus conficere, & pondere frangitur.
Rumores *Sabaras* novos
Judæis etiam credulus, undique
Venatur. *Palero*, neque
Si verum, neque ſi proſpera nuncies,
Intractabilis audiet.
Feſtivus nitidos, comis Ionicos
Aulæ *Nellus* amat modos,
Ac geſtus, parili reddere tum modo,
Tum geſtu. nihil æſtimat,
Quod non reppererint Gallus & Italus.
Razbodus melior bonis
Naturæ, pedibus proterit exteros,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Oſſarum et patriæ tenax.
Germanus veteris ruſticus ocreæ,
Magnorum procerum novos
Cinctus, & phaleras, & redolentia
Linguas oſcula vulpium,
Nugandique modos mille volaticos,
Quadrato ſecat agmine.
Hac in colluvie quid facias, CRASI?
Obſiſtas? violentiùs
Crabrones, neque non abſque periculo
Irritaveris. ex Stoa
Juſti ſuppetias affero conſilî.
Connive, Simula, Tace.
Sæpe & ridiculis annue. ſit tibi
Quivis, maximus Hercules.
Clavam cuique ſuam linque tricuſpidem.
Hæc tecum. lepidus furor
Urget Terrigenas. Quàm vario ſitu,
Diverſaque ruunt viâ
Stellarum in radios, claraque vulnera!
Hinc ludibria mobilis
Vitæ, & ſtultitiis juncta neceſſitas,
Donec mox lolium putre,
Simuſque hoc iterum, quod fuimus, Cinis.

AD RECAREDUM MALVIUM, COGNOMENTO BUBONEM.

ODE XVIII.

Quiritantem ſolatur.

DEſine Naturam, MALVI, incuſare Novercam.
Mater erat. largiſſima vireis,
Quantas taurus habet, dedit, & Pangæus arator.
Præterea teres, atque rotundum,
Ingeniumque capax: ſed ſpiſſius, inque receſſu,
Quàm cuperes, obſcurius æquo.

Tantò

Tantò major eris. triſteis depone querelas,
O Carbo. non quidquid habetur
Obſcurum, non eſt Claro preciofius umquam.
Teſtatur ſub montibus aurum.
Sæpe & amabilior radiis et gratior umbra eſt
Sub quercu platanove jacenti.
Numinis arcani, tenebræ, nota. numina ſilvæ,
Antra, lacus, & fama loquuntur.
Ex furno ſpirat præſagia corniger Hammon.
Nec diſtat Jovis ara camino.
Intranti famoſum adytum, lucoſque ſonanteis,
Occurrit venerabilis horror.
Vis mecum pariter celebreis inviſere Delphos?
Sunt Tripodes ſuligine nigri.
Unde cadunt fluvii, primum nox humida manat:
Hinc Fontis procedit origo.
Fons ſacer occulitur. decurrit vilior Amnis,
Remigio pulſandus, in arva.
Ut majeſtatem Divûm ad nos deſcendentum
Exprimeret, dignoſque regreſſus:
Ipſe viam fulva caligine ſepſit Homerus,
Et nebulis involvit Atlantem.
Aonidum pars magna favet nigrantibus ore.
Hiſpani ferrugine tincti,
Et violis Itali, non mentis acumine præſtant?
Ut ſtudiis aptiſſima nox eſt;
Sic magis ingenium, penitus quod duxerit altum
Tranquilla de nocte colorem.
Ad ſummam. non eſt Aquila, aut Lynx, ſacra Minervæ;
Sed Bubo, ſed Noctua, MALVI.

AD

AD MORANDUM BAVILUM, ANDREAE BAVILI F.

ODE XIX.

Amuletum Invidiæ.

QUid ſunt, MORANDE BAVILI, convicia,
Rixantis iræ. cuſpides?
Cur ſic tremiſcis ora. ſpumis ſordidus,
Ceu fuſte percuſſus caput?
Lapidemne verba, quæ per aërem volant,
Caduca poſſunt lædere?
Livore porrò, vel ſuperbiâ, tibi
Si flavus inſputat Puer;
Hebetare linguæ meliùs haud aculeos,
Quàm negligendo, quiveris.
Injuriæ contemtus, illatam ſibi.
Juſto tenore vindicat.
Ringantur, urant invidi. tu triſtium
Parcus querelarum ſile.
Calumniarum ſpiculis, & turpibus
Plenum palimpſeſtum notis,
Litura delet una; *vultus contumax,*
Et Mens honeſti ſtrenua.

AD HENRICUM BESTENIUM.

ODE XX.

Invitatur in Congregationem Macilentorum.

O Qualis facies BESTENII! quis tumor in genis!
Quantas nec madidus navigiis objiciat Notus.
Emplaſtrum, bone Vir, Præonium pinguibus admove
Buccis, & cohibe corporis intemperiem. niſi
Ad ripam appulerit Sobrietas membra natantia;
Te ſubmerget adeps. Ergo Famem protinus invoca,
Mul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Mulcentemque levi terga Deam verbere Tauream.
Hæ te fluctibus è reſtituent incolumem ſolo.

AD ANDREAM DANTISCUM.

ODE XXI.

Amœnitatem Sedis Eberſpergenſis S. I. *commendat.*

QUid tum? ſi ſpiſſis Domus eſt obſcura tenebris,
Quantis nec os Drophonii!
Humida ſi preſſis patiare cubilia tignis
Curvatis incumbentia!
Si tabulata ſuper ſaliant male pendula mures,
Somnoſque rumpant deſides!
Plurima ſi laceris demittat aranea tectis
Virgata filis retia!
Vexilliſque pares telas, & vellera texat
Sternenda mapparum loco!
Pauca mala, & facileis nævos, & forſan amandos,
Majora compenſant bona.
Ardua ſurgenti Sedes eſt edita clivo.
Afflat vetuſtas advenam.
Relligioſa ſilex, antiqui in parte recedit,
In parte muri prominet.
Undique liber abit virideis proſpectus in agros,
Et rus olet domeſticum.
Vertimur ad prima rorantem lampade currum,
Cum ſol Eous emicat?
Mite ſolum datur, & ſaltus, & ſtagna tueri,
Colleiſque clementiſſimos.
Vertimur occidui jam feſſa ad lumina Phœbi,
Equos parantis mergere?
Delicias ſimileis, aliaſque, & mutat & auget
Natura Terræ fertilis.
Sed Laribus noſtris primi debentur honores,
Secunda Campis gloria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Veſtibulum ſimul attigeris : venerabilè tuſſit
 HAUSERUS, olim Janitor.
Ille ſenex. currentis adhuc tamen ignea planta eſt,
 Annoſque robur occulit.
Barba viri, crineſque albi cum crinibus atris
 Rixantur, & canos levant.
Idem Phonaſcus, magno chaos intonat ore,
 Cantuque frangit pulpita.
Quin & aves, plus quam ſeptem, Calydonius Orpheus,
 Vocum docet diſcrimina.
Prælegit admiſſis præſtanteis arte Poëtas,
 Et inter hos Horatium.
Me quoque. concipiunt ſonitus & carmina ſturni,
 Miraſque narrant fabulas.
Sed jam porta patet. limen ſubeamus amicum.
 Invitat antiſtes loci.
Dextra manus celebris deducit ad oſtia Templi,
 Lævam tenent præſepia.
En, anatum turmis ſtagnum ſulcatur equinum,
 Multoque clangit anſere.
Ut ſtrident! Senones illis, DANTISCE, videmur.
 Colla erigentes ſibilant.
Tutari Romana putes Capitolia : Brennum
 Inſtare captis Civibus.
Progredimur. flexo vadamus vertice : ne trabs,
 Aut teſta læſa vapulet.
Hîc ſpumoſa Ceres calefacto gurgite ſudat;
 Feſtiva laudans balnea.
Purior ex thermis redit, & juveneſcit in unda
 Senilis inſtar Æſonis.
Tum primùm menſas ſubit, atque vapore recocta,
 Scyphos Lyæi provocat.
Nec miranda magis ſunt, per quæ prela Tarenti
 Calcata ſtillat vinea.
Hinc connexa pedem refer in topiaria Floræ,
 Totam colentis aream.
Non jactet calathos alieno ex ſole petitos :
 Qualeis in hortis Principum

Anxia,

Anxia, præcipiti ſumtu, multiſque coloni
Curis Voluptas educat.
Ipſa Dea, ut fama eſt, Luna deſcendit Aprili,
Vehentibus Favoniis.
Ac, ne dignoſci vernanti ex cyclade poſſit,
Induta veſtem ruſticam,
Diſtinguitque ſinus, & margine terminat illos,
Et ſarrit, occat, ſeminat:
Componitque toros, & terrâ educit ab imâ
Hanc germinum puertiam.
Tunc buxum undantem tondet, flaviſque capillis
Pullos recenteis induit.
Non color ullus abeſt. Spectas hîc flava Minervæ,
Spectas Dianæ candida.
Cœrula Naïadum, Junonis fuſca profundæ,
Summæ fragrant ceraunia.
Jam quanta anguipedum muris ſe vis hederarum
Agglutinat radicitus!
Omne ſuum faciunt ſpatium. ſi Pyramis adſit;
Conentur hanc tranſcendere.
Eſſe reas, inter frutices hoc credere poſſis,
Quod fixa tendant brachia,
Inque modum diſtenta crucis. peccaſſe proterva
Fatentur inter Orgia.
Sæpe mihi viſus ſum noctu advertere Bacchum,
Lætumque Faunorum chorum,
Prævelaturos ſolitis hinc tempora ſertis
Molleis corymbos carpere.
Tam ſaturi, foliis tam grandibus, herba coloris
Inſerpit altis ædibus.
Imus in immenſum (namque hæc præludia dicas)
Hortum ſiniſtri tramitis.
Pomifer Auctumnus patulis ibi grandia ramis
Et fulva mala porrigit.
Heſperidum non iſta draco cuſtodit avarus.
Aperta creſcit copia.
Nec reor Alcinoi, nec, quod Lucullus habebat,
Nemus fuiſſe ditius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Poma cadunt rubicunda genas, albentia pulpam,
Inſperſa guttis corticem.
Adſunt et ceraſi: quarum vindemia dulcis
Certat Sicanis fructibus.
Senſim in planiciem pinguiſſima terra reſidit,
Declivitate gratior.
Alterius vertex ubi deſinit, altera primam
Orditur arbos lineam.
Cum citharæ Geta fila manu tractura feriret
Ex Orbe cunctas arbores:
Hanc Tiliam perhibent, contemto Thrace, canoras
Clauſis ad Odas auribus,
Detrectaſſe ſequi. tantùm faſtigia pronis
Moviſſe celſa frondibus.
Sicut erat ſtabili permanſit ſtirpe ligata,
Amore fundi nobilis.
Suſpice, ſi potes hoc oculis ſuperare cacumen.
Vicina verrit ſidera.
Inter ſe nexus ramorum exercitus ingens
Plagas in omneis abſilit.
Truduntur tot Vere comæ, quot in æquore conchæ,
Quot ſunt arenæ littoris.
Æſtivum frigus, ſubterque ſedentibus umbram,
Adverſa Soli, projicit.
Et datur adſcenſus. potes hinc, quacumque libebit,
DANTISCE, viſum vertere.
Proxima, quæ rudibus præſignis lurida portam
Inciſa ſaxis ollula,
Villam aperit: rus omne ſimul. KONDELIUS Heros
Hoc regnat in palatio.
Hæc ejus Ninive, Babylonque, & regia Lagi eſt.
Hæc Suſa Suſorum tenet.
Hîc, quæ guttatæ ponunt Meleagrides ova,
(Sunt certa vectigalia)
Accipit: inque ſuo, jubet, accumulata miniſtri
Ut collocent ærario.
Pugnaceis hîc frenat equos, venientibus Hunnis
Nullam perhorreſcens fugam.

Hîc

Hic Conſul trepidos ſubmittit faſcibus agnos,
Novumque feturæ genus.
Jura dat et vaccis, armentorumque maritis:
Calletque linguas omnium.
Horum aliquis taurus, mereatur Jupiter eſſe.
Fuerit nec Io pulcrior.
Clitumni de fonte putes adſcendere, pingui
Paſtos triumphi gramine.
Cumque caput motant, flaventia marmora credas,
Quernosve truncos ſurrigi.
Ulterius ſed nunc oculorum dirige jactum.
Feri, licet diſtantia.
Quocumque adſpicias; nihil eſt, niſi Panque Paleſque,
Circumque piſcoſi lacus.
Nonne lacum cernis? cui, quâ de neſcio cauſsâ,
Nomen reliquit tegula.
Intus balænæ metuendi fornice rictûs
Dantur minorum gentium.
Sæpe aliquam traxit per ſtagna ſonantia, monſtro
Piſcator udo territus.
Sæpe aliquam in cymba poſuit titubante, gravatus
Squamæ tremendo pondere.
Navigio gaudet ſubſterni cœrula Doris:
Pulſata remis, ingemit;
Ventoſoſque ciet fluctus, & ad extima ripæ
Perducit alnum paſcua.
Vidimus hoc parvis nanum Tritona ſub alto
Inflaſſe Nymphis cornua.
Saltabant: multique manus adſpergine plenæ
Crineis lavabant vitreos.
Herbida ſtant propter, ſtant amphitheatra ſupinis
Frondoſa retro collibus.
Grex avium ſupra, variis & roſtra, leveiſque
Exercet auras verſibus.
Iſtæ Bucolicos recitant: jucundiùs illæ
Laudantur à Georgicis.
Hæc jacit in cuculum Satyras. hæc laudat amores,
Suæque nidum conjugis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Quid memorem curvos flexus, & amœna viarum
Surſum deorſum didita?
Tollit Haſelbachium; Graffingaque deprimit altas,
Et Soja tendit ſemitas.
Hîc Æichbüla jacet frigentibus humida limphis:
Illic Liginga lætior.
Veſtit iter vel flava ſeges, vel lucus obumbrat,
Vel currit unà rivulus.
Ac ſi fortè pedes impegerit unda lapillis,
Auri dolens immurmurat.
Quoque poteſt ſonitu, ſpecieque ulciſcitur iræ,
Verſans morantem ſcrupulum.
Sunt luci ingentes, ſunt ſilveſtres labyrinthi,
Filoque digni Gnoſſio.
Callis in ambages trahit; atque errore vaganteis,
Domum reducit ſeriùs.
At non aprorum, cervorumque agmina deſunt,
Altique jus venabuli.
Nuſquam tanta Ceres: nuſquam fecundius uber
Tellus ariſtis explicat.
Hinc citò lacteſcunt turgentes pondere ſpicæ,
Rumpitque meſſis horrea.
Agricolæ læto plauſu gratantur, & ornant
Pompam quotannis ſupplicem:
Patronique ſui ſacram venerantur in ara
SEBASTIANI purpuram,
Mille ſalutiferis affigunt oſcula telis.
Certamen eſt pro Martyre.
Inſonat & Pæan. & non eſt huic quoque nulla
(Audita teſtor) gratia.
Namque aliquid lepida crudæ dulcedine linguæ
Peculiare ganniunt.
Huic, DANTISCE, loco ſterilem præponimus urbem!
Vah! plura nolis addita.

PANE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

PANEGYRICON LYRICUM,

De laudibus glorioſi Martyris SEBASTIANI, *Sedis Eberſpergenſis Patroni.*

Ex epiſt. VI, *lib.* II. *S. Cypriani E. et M. ad Martyres & Confeſſores : ut habetur in Breviario Romano de communi m. m. temp. Paſch.*

PARAPHRASIS.

ODE XXII.

AT ô, quibus te laudibus efferam,
Invicte Martyr, gloria militum,
SEBASTIANE? quo calore
Ætherii ſtimulatus ignis,
Æquem ſeveras pectoris inclyti
Vireis, & illud robur aheneum
Durantis, extremos in omnis
Barbaricæ feritatis ictus,
Pulcramque mortem? Non adeo minis
Votiſque; non & ſupplicio trucis,
Athleta, ceſſiſti tyranni:
Supplicium tibi ceſſit ipſum.
Quem non dederunt ſæva doloribus
Tormenta finem; ſidereis dedit
Demiſſa cum palmis corona.
Quò graviùs laniena fixos
Diſcerpſit artus; hoc properantiùs
Mentem moleſto carcere liberam
Invexit aſtris. ô beatæ
Cœlitibus placitura ſemper
Imago pugnæ! Dum nimio metu
Spectator horret: prœlia fortiter
Spectatus abſolvit; foroque
In medio mediiſque caſtris

Chriſtum fatetur. brachia vincta ſunt,
Soluta vox eſt. non clypeo caput,
Non enſe dextram; non ſagittâ,
Non aliis ſua, ſeque, vindex
Tutatur armis. cum gladio ſagum
Ac tela ponit nudus, & omnium
Fit meta telorum. cohortes
Attonito ſtupuere vultu.
Pars mœſta pallet, pars odio furit;
Vincique frendens immiſerabili
Tribunus extabeſcit irâ, &
Damnat iners jaculator arcum.
Rurſuſque contemtum impatiens pati,
Non membra jam, ſed vulnera diſſecat.
Quamvis recluſis cernat oſſa
Viſceribus, pateantque coſtæ.
Proſciſſa virgis terga gementibus
Sulcant adactæ tetriùs ungulæ.
Stat ante tortorem, & fatigat
Tortus ovans, rabiemque ridet.
Cruor patenti corpore funditur,
Et intuentum ſpargit atrociam:
Sopitque flammas, & tumultus
Cæſareos, potiore flammâ.
O teſte dignum Numine prœlium!
Dignumque, totus lumina cui ſua
Impendat æther! dicta verè
Iſacio, precioſa, cantu,
Mors iſta Sancti. Nunc ſpoliis fero
Ex hoſte raptis, laurigeros decèns
Evincte crineis, nunc coruſcas
Purpureo radiate cinctu,
Bellator alti ſanguinis! hac nece
Venale cœlum eſt. talibus annuit
CHRISTUS triumphis. ille contra
Tartareos animavit hoſteis.
Fecit potentem vincere, qui priùs
Fecit volentem. continuò mori

Dignatur in ſervis, peremtæ
Excidium domitorque mortis.

AD PAULLUM GALARINUM.

Hortatur, ut, contemto Momorum judicio, ſua poëmata, novennio preſſa, evulget.

ODE XXIII.

TE quoque Vere ſuo clemens afflavit Apollo:
Et tua Muſa placet.
PAULLE, quid indubitas ſpondenti candida Famæ
Omina? pone metum.
Quò minùs in lucem properas exire Poëta,
Quæ ſimulacra times?
Si Cenſor limpha non eſt Heliconide tinctus;
Pars tibi plebis erit.
Si bibit ex ungui; quantum neque Pindarus ipſe,
Appuliæque decus:
Fautorem non vana fides promittit utrumque.
Victima, falſus, ero.
Rem ſanctè expendas. ſola Ignorantia latrat,
Accinit albus Olor.
Delphica, famoſos hoc ævo diſcute vates,
Quotquot arena tulit.
Paucos invenies, queis ſic indulſerit æther,
Ut, GALARINE, tibi.
Multis ſpectatur Venuſinæ porta Corinthi;
Non ineunda tamen.
Sæpe etiam tantùm, jactantibus ora rotunda,
Circulus oris ineſt.
Cætera quadrato facundia plena colono,
Ruſtica metra jacit.
Dumquè truces paſſu ſublimem tollere verſum
Quadrupedante parant:
Hæret, & in mediis ſtertit ſententia verbis:
Pigra paludis aqua.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Hunc Ars deſtituit; Natura benignior illum.
Quæ, niſi juncta Labor
Conciliet, largoque riget ſudore frequenteis
Palladis excubias:
Ingenii vacuas laudeis, ſpumamque comantem,
Ventus & aura rapit.
Te finxit meliore luto, meliore metallo
Solis amica manus.
Includis numeros auro: cryſtallinus aureo
Profluit ore liquor.
Flent molles Elegi: pugnax luctatur Iambus:
Sapphica melle madent.
Quàm multi conantur idem ſub imagine Cygni!
Non modulantur idem.
Namque vel invitæ ſubeunt delubra Minervæ;
Et triviale ſonant:
Vel, ſi Dædaleis ardent ſuper æthera pennis
Vatibus ire pares;
Icaria nixi cera, ceu bulla, liqueſcunt;
Nomina dantque mari.
Nonne vides: ut, ſeu vena ſaliente tumultum
Pectoris exonerent;
Prodiga verba ruant, nil ſignificantia, luxu
Dilapidantis opes.
Utque Aſiæ phaleras, & pondus inutile, nullo
Ordine projiciant.
Sive comas vulſi, decies cunctentur ad omnem
Temporis articulum;
Splendida ſuffocent, quo ſtringit ſimia fetus,
Carmina, more, ſuos.
Hæc exacta vocant. meliùs porrecta vocarent.
Flos genialis abeſt,
Caſtaliuſque vigor. licèt incruſtata ſmaragdis,
Chryſolithiſque micent:
Gemmea pro vivis obtrundunt funera formis,
Fit ſibi Leſſus, Epos.
In lucem quidquid prægnans, GALARINE, tot annis
Calliopæa tua

Edide-

Ediderit: ſaltem, fac, vivat; & ætheris almi
Dulce jubar videat.
Seu mas ſit: qui mox Heros, Heroica tali
Carmine bella canet.
Femina ſeu tantùm: quæ, quamvis claudicet uno,
Sic quoque pulcra pede.

AD MARCUM LIMAM,
ex veteri ſtirpe Scipionum.

ODE XXIV.

LIMA rotunde: quantum
Dormies Somnum! ſua jam cornua Noctiluca
Contrahit, & feneſtras
Phœbus extendit radiis. Endymion, relinque
Mollia ſtrata tandem, &
Vive. cur lectum malè cautus tegetemque mutes
Sindone funerali?
Eſt metus, ne te, niſi rhonchus vetet, efferamus
Cum facibus. ſepultos.
Hic ſopor maneis deceat, vel vitulos marinos.
Excute, quæſo, glirem.
Jam cutis pingui ſanie flavet, & arvinâ.
Plurima peccat ætas
Parva, quæ ſeris nequit annis reparare major,
Blandior oſcitanti
Mater indulſit puero. continuas vir uſum.

AD CAROLUM HOERVVARTHUM, S.J.
In funere cariſſimæ Matris JOHANNÆ.
ANNO M DC XLV.

ODE XXV.

Alludit Auctor ad threnodias libri IV Silv. Gracii in Academica Scena cantatas.

ERgo pedem veſtris Alemannia noſtra Theatris,
Famoſa Troas, intulit!

Torva cothurnati varians ſimulacra doloris:
Spectante luctum Græcio.
Mœſta parens, utriuſque tamen, communia juſto
Plangore deflevit mala.
Nunc tua ſolius ſubit, & præcordia fato
Propinquiore ſauciat,
Altera non ſicco ſpectanda Tragœdia vultu:
Cum tota ſit domeſtica.
Exſtincta eſt Mater. lacrymas da, CAROLE, vixit;
Tibi dedit quæ vivere.
Sollicitabit amor, naturaque fomes amoris,
Impulſa fletu lumina.
Sed nolim in liquidum flumen vertaris, ut Acis,
Paſſoque crine fluctues.
Nec plorare veto. modò non lamenta ſequantur
Manes pios turbantia.
Purpureum fratres jam mutavere colorem.
Hac liber es moleſtiâ.
Conveniente toga multò te veſtiit antè
Præſaga mens funebrium.
Parce ſupervacuis convellere planctibus Umbram.
Quieta dormit. invides?
Deceſſit Genitrix. hoc eſt, abſolvit agonem:
Qui nos manet, qui ſingulos.
Heu! Genitrix obiit. dicas abiiſſe, beatæ
Promiſſa viſum Patriæ.
Heu! oculos clauſit. tantò jam plura tueri
Poteſt, vel abſque pupula.
Conclamata jacet. quin immo et ſurda: nec optat
Audire queſtus filii.
CAROLE: triſte mori, quid, quàm parere vocanti
Eſt ad tribunal Numini?
Paruit, ac promte. facto hoc animoſa meretur
Summi favorem Judicis.
Officio defuncta ſuo, quod pendere juſſa eſt,
Fatale ſolvit debitum.
Procubuit: qualis, poſtquam tulit aurea Malus
Fetus in hortis aureos;

Decit

Decedit ſpatio tandem, Auctumnumque relinquit,
Contenta prole floridâ.
Arbor Mater erat: quæ totum in pignora ſuccum,
Ut viveretis, tranſtulit.
Nunc, ut et ipſa queat tumulo pubeſcere rurſus,
Sepulta ſe reſeminat.

CANTUS DURUS.

ODE XXVI.

VAna res, vana eſt, etiam Poëſis.
Ipſe nos flocci facit, utque vileis
Durus, huc illuc, tetricuſque ſervos
Verſat Apollo.

Quâ mihi munus Latiale, Phœbi
Ore jactatum, Lyra pulcra: ſi non
Detur accepti, quoties cupido eſt,
Muneris uſus?

Ceſſerat cornu fugiente Luna
Memnonis Matri, roſeum cubilis
Limen egreſſæ. modico manebat
Lucifer igni.

Audio voceis avium relictis
Muſicas dudum vigilare nidis.
Cæteras princeps volucres regebat
Thracia pellex.

Surgo confeſtim: patulamque dextro
Nixus ad lævam cubito feneſtram,
Aſtra proſpectu liquidamque cœli
Metior auram.

Cuncta ridebant. quid enim repoſtâ,
Ceſſo, dicebam, citharâ? canamus.
Nunc ſub Auroram Deus invocanti,
Spero, favebit.

Teutonum lætos dabit intueri
Forſan eventus. utinam ruentis
Patriæ luctum lacrymaſque cantu
Siſtere poſſim!

Fatus hæc, apto digitos & ora.
Ecce! Germanos quoties volebam,
Galliços, verſo meliore voto,
Dico triumphos.
Utque conductus Balaamus olim
Iſaci ſtirpem lacerare probris;
Hanc volens nolens cumulavit omni
Laude beatam:
Sic ego Gallos, neque mî licebat
Orſa mutatis tenuare verbis.
Gallus & linguam ſubit, & moventes
Carmina nervos.
Sponte vocales ſonuere venæ.
Sponte ſuccuſſæ tremuere chordæ.
Haud mei juris, rapido ferebar
Flaminis œſtro.
Qualis in ponto volat acta navis,
Vela cum turgens ſinuavit Eurus.
Illa nec nautæ gemitum, nec ictus
Remigis audit.
Nitor adverſum tamen. Ah, & eheu,
Væque dicturo, miſeraſque clades;
Gallicus pæan, & iô reſultat,
Gallicus Evan.
Teutonum captus ter amore, Francos
Triſtibus diris paro devovere:
Juſſa ter Francis meliùs precata eſt
Plena Deo mens.
Ut laboravi, fremuique contra!
Caſtra fortunent Alemanna Divi!
Martiis Æther Aquilis ſecundum
Accinat omen!
Frigus invaſit digitos & horror.
Torpet infuſo manus à veterno.
Aſpera ſenſi glacie ligari
Pectus, & ora.
Qualis è ſomni nebula locutus
Trunca molitur ſine mente verba;

Luctor. *O Germania, pelle, dixi,*
Languida curas.
Regnum eris felix, iterumque deinceps
Hoſtibus Germania clara victis
Invidendum nomen habebis: atque
Conſiliorum
Fertilis tu nobilium frueris
Copia. jam nunc inimica cedent
Agmina ex campo; aufugientiumque
Terga videbis.
Iunge tantùm, & collige ſparſa membra
Penè collapſi Imperii; ac feroceis
Exſere, ô nunc, relliquias, & antiquum
Exſere robur.
Namque multis mox ſpoliis opimis
Suecicis ditaberis: ac ſuperbâ
Major exaltabere Dindymene,
Turrigeraque
Scilicet Regina beata, tanti eſt
Vrbium concordia, Principumque
Federatorum. nihil ampliùs te,
O decus, anget.
Talibus vates (pudor) immorabar
Claudicans metris. neque digniora
Largiebatur Patareus, etſi
Ilia rupſem.
Ergo mœrenti ſtimulatus ira,
Barbitum menſæ, fidibus ſolutis,
Bis ter illiſi. jacuere centum
Fragmina terris.

ODE XXVII.

PUer, ſalignam projice fiſtulam.
Poëta ſumſit jam tuus alteram:
Fumo ſerenantis Tabaci
Irriguo, dare ſanitatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Munus potentem. Sic Podalyrio
Diviſque viſum eſt. Tibia cui bono?
Inflavit, abjecitque fractam
In fluvium tamen ipſa Pallas.

SIL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

SILVARUM
LIBER IX.
MEMMIANA.

Illuſtriſſimo Excellentiſſimoque
DOMINO, D.
CLAUDIO DE MESMES,
COMITE D'AVAUX,
Regii Ordinis Commendatori, Supremo Ærarii Præfecto,
Regiſque Chriſtianiſſimi ad Pacem publicam
LEGATO.

GALLIS *adverſus Germanos, ante faciem & oculos propemodum meos pugnantibus; mirabuntur fortaſſis aliqui, cur Germanus ego, Tibi Gallo, librum dedicem. Verum, quod nonnullis ſive mirandi cauſſam, ſive cunctandi moram injicere poterat; impulit me, ut tanto calidius id vellem, quod ſemel deſtinabam. Ex quo enim intellexi,* ILLUSTRISSIME DOMINE, *qualiacumque noſtra ad Te perveniſſe, dignatum & legere, & æſtimare: continuo ad debita tam inexſpectatæ benevolentiæ obſequia commoveri*

me

me ſenſi; ratus, æquiſſimum eſſe, ut, qui literas amant, ab iiſdem etiam celebrentur. Itaque non multo poſt cogitare cœpi de fragmentis Citharæ colligendis. nam in parietem jam impacta erat. Addiderunt ſtimulos et Amici, virtutum Tuarum venerabundi ſpectatores, humanitatis præſertim cultiſſimæ teſtes: in me quoque, licet abſentem, & numquam viſum, haut vulgaris. Simul audieras, ſuperiori anno proſtratam valetudinem meam rediiſſe in vigorem & uſum; gratulatus es, velut Tuæ. Alienum morbem, per circumlata amiciſſimæ hilaritatis libamenta, Romano dicam, an Germano more, expiaſti. Scripſerat præterea Monachium vir incorruptus atque integer; veniſſe Monaſterium ex Galliis Heroëm, Pacis Legatum, cujus ſumma inter decora minimum ſit, nobiliſſimi juxta & antiquiſſimi ſanguinis ſplendor. non exſultantis æſtu Fortunæ, ſed miti comitate ac prudentia æquabiliter ferri. diffuſam per omnes ſcientiarum ſinus eruditionem, ad dignitatem tanti officii attuliſſe. quod veriſſimis dotibus impleat. inter cæteras eminere virilis eloquentiæ ſuavitatem, tam ex præcordiis, quàm ore deductam. Ad hæc, alios ad humanitatem factos videri, MEMMIUM *natum. Erexerunt iſta, fateor, peregrini hominis audaciam; ut, quamvis tenuem referiret Lyram, mallet in ſe ingenii vim deſiderari, quam obſervantiæ erga Te ſuæ monumentum. Silvarum huncce libellum noviſſimum, Poëſios coronidem noſtræ, Illuſtriſſimo*

No-

Nomini Tuo, velut hederam reptantem excelſæ arbori circumdamus. Gallicarum mentium ſublimitas, Maximorum Heroum gloriam, pari magnitudine abſolvere poteſt. Nobis in Germania, ob ſummam perturbationem rerum, non datur eſſe tam felicibus. Muſæ quidem extra jus armorum ſunt: bella tamen, ſicut gladios acuunt; ita ingeniorum aciem retundunt. Revertatur, obſecro, Pax: et ante fores MEMMIANI *Palatii primam lauream ſuſpendet. In partem jam venio communium votorum, & cauſſam Pacis, coram Pacis Legato, ut poſſum, ago. Pacem ſuadeo, Pacem invito; bella deteſtor. aperta hominum pectora; ſolum Iani Templum clauſum opto. Ejuſcemodi plura, quoque licuit modo, tentavi remeans ex mortis umbra Vates; tempore, quo incolæ non tantum urbes, ſed et Provinciæ nomina perdunt; Artes vitam, & famam. Si votis noſtris reſponderit eventus; Patronum ſuum amœnius alloquentur Muſæ, deterſis lacrymis, ex ſqualore ſurgentes. Totum certe Parnaſſum Tibi vectigalem feceris.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Comitem

CLAUDIUM DE MESMES, LEGATUM GALLICUM,

ODE I.

Ad canendum ſe nondum inſtructum eſſe.

NON eſt in ipſis nulla protervia
Damnanda Muſis. nam mihi Barbitum
Thalia conſuetum, relictâ
Abſtulit effugiens avenâ.
At hæc jocandi cruda licentia,
Impune non ſic prorſus abiverit.
Canemus invita. Poëtæ
Tu ſubeas modò cœpta, MEMMI;
Phœbum faventem non alium mihi
Deſiderarim. Quamquam adeo ſacrâ
In valle Pindi, ſi ſuſurret,
Vel modico tua fama tractu,
Solumque Numen rupibus inſonet;
Mox audiatur clariùs alipes
Hinnire; mox præſaga ſpirent
Murmura; Francigenamque ſupplex
Ramis adorans ſilva trementibus,
Vivique fontes, antraque fontium
Loquantur; undantique totæ
Lætitia fremuere ripæ.
In Vate non eſt culpa modeſtiæ:
Quòd uſitata cum citharis tubâ
Fraudatus, Heroëm profano
Non valeat celebrare ſiſtro.
Queis temperatis dignior altera
Teſtudo nervis: hi memorent genus,
Ceraſque Majorum, & vetuſtos
Atria per laqueata vultus.
Majora priſcis, dicat amicior
Vates: ut Aulas mitibus impleas

Sci-

Scitiſque, reſponſiſque, ſancti
Juris amans, placideque fortis.
Siccanda nullis ſolibus, aurea
Cadunt loquentis pectore flumina
Sententiarum, more Nili, &
In vacuas voluuntur aureis.
Eſt et benignæ Mentis amœnior,
Dulcique nitens pondere Comitas;
Et Norma, Concentuſque Legum, &
Docta Quies, Animique libra,
Sonanda multo nomina carmine:
Simul moleſtis laſſa facetiis,
Fulgens, coronatumque lauro
Reddiderit mihi Muſa plectrum.

AD EUMDEM.

ODE II.

CARMEN GEORGICUM.

De Agro, cui benedixit Dominus.

ADhuc procacis nequitiæ tenax
Thalia nobis barbita diſtinet,
Dilecte MEMMI. ſed ferendum eſt.
Iſtud habent lepidæ puellæ,
Volunt timeri. Cogimur interim
Horatianum carmen Oreadas
Inter, coniſcanteiſque Faunos
Mænalia tenuare cannâ.
Tantiſper arvis nos reficit Pales.
Heic multa Vati ſubjicit obvia
Imago Ruris: quæ nec olim
Viſa mihi, neque ſic fuerunt.
Humana quævis Mens ager eſt. Tuus
Fecunda, MEMMI, Gargara provocet.
Quem rore, clementique lapſu,
Ætherius ſatiavit imber.

Adhuc in ipſo Vere, virentibus
Ætatis annis, ſemina gloriæ
Spargente Natura, capaci
Mentis agro ſeges alta riſit:
Jam tunc ariſtas Triptolemi ſupra
Spe meſſis amplâ. ſuſtulerant caput
Sic plena lactis, ſic aperto
Ingenii ſata læta flore.
Tandem feraci laudis adoreâ
Scientiarum campus inhorruit:
Pulcrique ſurrexere culmi,
Quos radiis redimita Virtus
(Hæc coxit Æſtas) flante Favonio,
Clementiori ſideris halitu
Foviſſe fertur: donec auri
Induerent gravidi colorem.
Hinc eſt tot auctum fertile frugibus
Frugale pectus: dives & eloquI
Patentis ubertas, & almi
Copia conſilii, beatæ
Annona Famæ. Quod miſeris fuit
(Ingens Canopum cum premeret fames)
Joſephus Ægypti colonis:
Hoc es, amor columenque, nobis.
Funde & petenti pabula Teutoni
Fruges, aperto pectoris horreo.
Pacis vides egere. ſemper
Pace Ceres comitata vadit.
Ferrata Cadmi meſſis in ultimas
Diſcedat oras. quæ gladios ſolo
Vix nata ſtrinxit: jam cruore
Triticei. maduere fratres.
Salve, frequentem qui ſapientiâ
Paſcis Senatum! Salve, Alemannicæ
Oſyris Europæ! ſalutem
Tot populis animaſque redde
Plenas ſeveris ecquis honoribus
Spicas, in unâ Mente reconditas,

Abſu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Abſumat unus? quàm tumenti
Mergite ſeſe onerant acervi!
Vectare tantas ſive mari velim
Laudeis; fatiſcet pondere gloriæ
Depreſſa navis: ſive terrâ;
Pierio ruet axe currus.

ODE III.

Recepiſſe ſe novum Barbitum.

IAm poſt ſolſtitium faciem renovaverat Annus,
Diffugiente nive.
Æther ſudus erat: gradienſque ſub æthere ſudo
Talia queſtus eram:
Quando mihi tandem referes optabile munus?
Ni dare, Muſa, novum
Nobilius malis. ſi non indebita poſco,
Si mihi Vatis honor,
Et ſerti veteris ſaltem conceditur umbra;
Redde, Thalia, Lyram.
Me ſuper ipſa nihil, Niobe, ſi docta moveris,
Ac ſedet ore rigor:
At certe, qui dona poteſt majora mereri,
Summaque vota facit;
CLAUDIUS ille tuus, debebat flectere duram,
MEMMIUS ille tuus.
Dicebam hæc mœſto ſuffixus in æthera vultu,
Spe propiore calens.
Cùm ſubitò nubes ſupra ſe ſpiſſa coëgit,
Intonuitque Polus.
Neſcio quíd patior ſubductus pectora Mundo,
Eripiorque mihi.
Interfuſa rubris currebant murmura ſulcis,
Armiſonæque faces.
Porrò ſolus ego vidi audivique: nec ullus
Audiit è ſociis,
Vel vidit. Solus vidi audivique, tremore
Genva ſoluta labans.

Qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Qui verò bis tres me ſtipavere ſodales,
(Sex, puto) tale nihil
Viderunt. nam ſolus ego formidine vidi
Cor quatiente meum.
Addita vox: Quas tu ſperas, ingrate, Camenas,
Alſata, quamve Lyram!
Cur prior effracta eſt ad querni robora trunci?
Sic mihi Fama refert.
Altera contemtis cordi quoque fiſtula noſtris
Dicitur eſſe tibi.
Qua Braſili bibitur fruticis vindemia fumans,
Pulvereumque chaos.
Qua viles uti lixæ, qua miles iniquus,
Nautaque Belga ſolet.
Proh Cyrrhæ Vatumque pudor! ſic forma Camenæ
Pellicis ergo placet!
Nec dubitas luteo cerebrum inceſtare camino!
Quid rudis herba juvat?
Ut ſpreta lauru potes ex caule furorem,
Tres furiaſque ſimul.
At non hæc Juvenis Phœbo promiſſa dediſti.
Hic vir, & ille puer,
Diſſimiles. non reſpondet barba iſta capillis,
Qui nivis inſtar erant.
Mutavit crinis moreis. jam corvus & ater,
Ante comatus olor.
Nam quid diſſimulo? Muſas odiſſe videris;
Excidimuſque tibi.
Sic de te meruit, Pumex exſucce, Thalia?
Iſte refertur honor!
Quod legeris Batavis; Franci quod in ore Poëta es;
Quod tibi Roma favet;
Quod multi invidiæ ſtimulis rumpuntur amaris;
Hos ſuper ipſe natas:
Nonne mihi debes? noſtro pavone ſuperbis:
Noſtra tropæa crepas.
Et tamen, ô Vulpes, gallinas pejor & omnem
Diripiente gregem:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Et tamen, ô nimium nimiumque oblite tuarum
Transfuga Pieridum:
Auſus es in media Citharam calcare corona.
Ter pede preſſa tuo eſt.
Jamque novam poſcis. cur non & poſcere frontem?
Hac quoque dote cares.
I nunc, & vulgi communibus utere verbis.
Diſce profana loqui.
Tune mei ſcandas, Sileni digne caballo,
Bellerophontis equum!
O, cur non toto nuper pulmone pereſo,
Viſceribuſque cavis;
Traxit in exitium juſtiſſimus ille catarrhus,
Dignaque Vate lues!
Ac niſi Legato mallem indulgere roganti,
Quem celebrare cupis:
Cum VolusI chartis, in noctem, æternaque clauſtra
Projiciendus eras.
Gallicus Orator facit, ut potiare petito:
Non tuus urget amor.
Jamque Lyram dabimus. ſed tu cave rurſus abuti.
Hac, age, digna cane.
Utque ſcias non eſſe tuam, (manantia vita
Flumina, præmoneo:)
Tempore, quo nolis, perdes: jacturaque, juſti
Cauſſa doloris erit.
Dixit, & exſerto dimovit nubila vultu.
Mox redit alma dies:
Amiſſæ redeunt vires: poſitoque timore
Mens ſolidata ſtetit.
Ecce Lyram Cygni tulerunt ex æthere miſſi:
Hinc duo, & inde duo.
Allapſi, poſtquam digitis mirabile donum
Inſeruere meis:
Dum revolant, laudeiſque tuas ac nomina, MEMMI,
Concinuere quater.
Nam quater in gyrum nantes, abiere per auras.
Aſtra dedere locum.

Aſt ego contemplor Citharam: quam Solis imago,
Cum pharetraque ſoror,
Et numquam viſus ſtellarum ſplendor obibat:
Quas Polus alter habet.
In gremio varii cingebant Lilia flores,
Mixta liguſtra roſis.
CLAUDIUS hoc, ductu cœleſti; MEMMIUS illo
Margine ſcriptus erat.
Quid facerem? ſonuere fides nec pollice motæ.
Carmina ſponte fluunt.
Sponte ſua tremit exſultans, geſtitque feriri
Tinnula chorda manu.

AD ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISSIMOS PACIFICATORES,
Monaſterii congregatos.

ODE IV.
Templum Iani claudendum eſſe.

PLoro tamē. memorem quid me, Germania, torques?
Lacerata, quod vix ſpiritum trahas, ſcio.
Donec aperta patent veteris penetralia Jani;
Tuo jacebis ſordidata ſanguine.
Claudite collecti Fanum Latiale, Quirites.
Jam quinque luſtra Martis abſumſit furor.
Sat bellis Orcoque datum: ſat triſtibus Umbris.
Lethæa tantam non capit turbam ratis.
Uritur everſis fumans Alemannia tectis.
Suas ad iſtum lacrymas ſiccat rogum.
Altera non medicina datur. quo lumina peplo
Tergat, protervi colla velant Vandali.
Una Numantinis exercita caſibus: una
Thebas & Argos corde fert, & Ilion.
Per villas, nudoſque Lares, urbeiſque ſepultas
Demens habenis errat effuſis dolor.
Jam luctu pars nulla vacat. miſerabilis infans
Fruſtra querelis vacua tundit ubera.

Humano creviſſe Ceres nutrita cruore
  Miratur: & ſe damnat, & populi famem.
Adde neces, partim properas, partimque negatas.
  Prohibentur ante ſtupra Virgines mori.
Non niſi calcato violatos corpore Maneis
  Latro cubilis impudicus ejicit.
Creſcit in immenſum, veluti cum ſilva volutat
  Correpto flammas, militum licentia.
Arma ferunt mortes, & mortibus arma feruntur:
  Ipſumque ſeſe ſtragibus reparat malum.
Latè in vicinum peſtis diffunditur axem:
  Nec ſola mœſti ſqualet ora Teutonis.
Tota Europa fremit: toto concurritur orbe:
  Unumque plureis inquinat gentes nefas.
Sanguineos Scalpis, Thameſiſque, ut Rhenus & Iſter,
  Rotant procellis intonati vortices.
Pallida ſucciduos greſſus Hiſpania figit:
  Nec reficit auro trunca Ganges cornua.
Tu quoque, quæ geſis nunc exſultantibus aſtra
  Ferire credis, feſſa tandem Gallia:
Spem quamvis vultu ſimules, oculique laventur,
  Lamenta prodis fluctuantis Sequanæ.
Ipſe tuus Pæan ululat, Victoria luget,
  Titubant triumphi, palpitatque audacia.
Urbibus exhauſtis, conſumta prole ferocis.
  Animoſa RACHEL filios plora tuos.
Quot pecudum ritu ceciderunt millia! rebus
  Etiam ſecundis atteruntur copiæ.
Solvit ad hæc lætus petulanteis Turca cachinnos:
  Hilaris bicornem Luna ridet in ſinum.
A quo lumen habet, fraterni ſideris orbem,
  Maculis ſceleſta gaudet atris infici.
Qualibus interdum ſolet inceſtarier ipſa,
  Volvente rhombum Theſſalum veneficâ.
Jamque per Hungaricas connivet callida nubes,
  Quonam retuſum Cæſaris vergat jubar.
Prô pudor! interea Suldano obtrudere palpum,
  Mulcere tigrim non domandam cogimur.

Federa ſancimus donis: ſic miſſa vocamus.
Vocat is tributum, qui capeſſit, debitum.
Inque dies propior, ſparſas in plurima vires,
Piſcantis aſtu rete prædo contrahit.
Has patimur clades: & adhuc in viſcera ferrum
Cognata, Reges, impiatum ſtringimus!
Heu, vereor, ne relliquias, analectaque belli,
Harpyia Getico fœda rictu polluat.
Cumque avibus nidum rapiens, cum civibus urbeis,
Ad inhoſpitalem ſpolia lambat Boſporum.
Militiæ quis fructus erit, quum paſcet inultum
Aquilæ cadaver Biſtonum diras aves!
Horreſco memorans. Vos ó, quibus aurea firmo
Adamante Titan illigavit pectora,
Conſilio meliore, Duces: vos vertite ſigna
In exſecrandæ perfidum Lunæ caput.
Endymionæam jaculis detrudite Mœcham,
Radios ab altis exprobrantem turribus.
In Byzantinam jaciatur lancea terram.
Mactare Turcas, hæc tyrannis eſt pia.
Pax ſit in Imperio. quidquid ſol adſpicit extra,
Aut nox recondit, cedat in prædam omnium.
Ergo agite, & ſtimulis animum cœleſtibus icti,
Famoſa Jani clauſtra primum attollite.
Protinus intruſo, quod formidabile, Monſtro,
Exitus ahenis ſubtrahatur peſſulis.
Intus marmorea Bellum religetur in ara
Centum catenis, mille ſparti funibus.
Accumbant vinctique Metus, Livorque, Furorque, &
Galeis minaces obſeratis Ambitus.
Poſtibus obſtructis ingens advolvite ſaxum,
Euboica ponto pila qualis incidit.
Infuſo nequeant latebræ clareſcere Phœbo,
Æterna totum nox gravet ſacrarium.
Stipentur fauces ramo pacalis olivæ,
Minimaſque nectens palma rimas oppleat.
Ut nec Suſpicio, nec Fama, nec æmula laudis
Invidia, nec Vis, nec Dolus traluceat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Ante fores, quas nulla manus ferrumque laboret,
Rude vivus iſtud præferat Carmen lapis:
Si quibus eſt, vel mica ſalis, vel ſtilla ſalutis,
Vel gutta ſanctæ mentis in vena ſuper:
Parcite tranquillum votis irrumpere Numen.
Deus iſte Templum cernuis extra favet.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimũ Comitem, CLAUDIUM DE MESMES, GALL. LEGATUM, MERCURIUS LEGATUS.

ODE V.

UT meus oſtentat ſeſe Cyllenius, auro
Thoracis galeæque renidens!
Quam formoſa pedum nexis talaria pennis!
Quo properas? cui comeris Aulæ?
Vadis in hærentem propter duo pignora Delon,
Dianæ vel Apollinis arceis?
An Patruum viſes frenantem jura profundi,
Æquoreæ primordia ſortis?
O quibus, ô, flammis, glaucas placiturus in ipſis
Exures Nereïdas undis!
Quidquid id eſt, urgent ſupremi juſſa Tonantis.
Magnum aliquid teſtatus anhelas.
Agnoſco Clypeum, tantæque inſignia ſtirpis.
VVeſtphalicam mandaris in urbem.
I, precor: & celebrem (cujus tibi nomen aratum
Caſtalio conceditur oſtro)
Legatum Legatus adi: cui Francia primas
Borbonia ſecrevit in aula,
Nec pudeat mitti. quamvis ex ſidere natus
Mortalem jubearis adire.
Quem colis abſentem, viſum ſpectator amabis.
Incumbit par munus utrique.
Tu virgæ materna quatis caducifer aſtra;
Officii venerabile ſignum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Hic ſceptri fulgore præeſt, ad fœdera miſſus.
    Summa Viro delata poteſtas.
Depoſitum Mundi, quantum ſol Gallicus ambit,
    Magnanimo ſub pectore verſat.
Protendis gemini complexum Nuncius anguis,
    Solerti ſatus indole Divûm.
Hujus in ambiguis ſerpens Prudentia cauſſis,
    Fraude nequit, nequit arte teneri.
Cautior in libros caput atque volumina condit.
    Sic Animam Corpuſque tuetur.
Tu furvos Maneis ſub inania Tartara pellis,
    Ac remeas ſuper æthera victor.
Hic vitiis, tamquam Furiis, procul Orbe fugatis,
    Aſtriferum luctatur in axem.
Invidiam factis, reſponſis mollibus iram,
    Fortunæ domat ora ſilendo.
Aliger & plantis & vertice, curſibus ipſas
    Vincis aves, ventoſque volatu.
Hic, animi velox, trepidæ non indigus alæ,
    Conſiliis libratus in altum,
Regna per, & populos, diſcurrit acumine mentis.
    Qua ſcribit, ſecat æthera pennâ.
Gratæ virginibus violæ. tua gratior illis
    Ante roſas facundia fragrat.
Hic præter ſolitos, Gallorum lilia, floreis,
    Mel loquitur, quo Tibris inundat.
Attonitum placito ducit ſermone ſenatum.
    Verba loqui regalia ſcires.
Carmen amas, teretiſque Lyræ tu crederis Auctor,
    In ſilvis tua fila ſecutis.
Hic valido generoſa Deo præcordia tendens
    Ex adytis oracula fundit.
Inter inæqualeis Muſas æqualis; & idem
    Non tumidus, ſed comis in omneis.
Uſque adeo, & noſtram ſalicem dignatur honore,
    Alſatici Paſtoris avenam.
Denique ſeu curas defers, ſive otia terris;
    Interpres Jovis intimus audis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Hic Regis, Jove vix (Livor concede) minoris,
Francigenûm flectentis habenas:
Qui, licet in teneris & adhuc vernantibus annis,
Spirat avos, ac vincere geſtit.
Jupiter ipſe tamen, non ſemper magnus, in Ida,
Veſtivit lanugine malas:
Fulmen ubi primùm didicit vibrare puſillum,
Semper idem referentis ephebi.
Talis & impubes fuit hac ætate Lyæus,
Sub cura nutricis anili.
Cui ſæpe arridens gemmantem deſpuit uvam,
Cum pueris puerilè jocatus.
Talis & ipſe, reor, fueras: quo tempore nondum
Umbratus majore galero,
Pileolum formaque rudem ſpiraque tuliſti,
Matris opus, rallamque recinctam.
Quid moror? ô propera. dudum Mimigardia, totâ
Occurrens effunditur urbe.
I, varias ſudo formas priùs indue cœlo.
Reſpice nos, ac brachia mota.
Bis ter ad Occaſum, bis ter revolutus in Ortum,
Mutatâ procede figurâ.
I præpes, liquido fundens veſtigia paſſu:
Et petaſo bene protege tempus.
I, neque te nubes, Auſtri neque flabra morentur:
Sed Zephyri vehat aura curulis.
I felix. Purrhi, Thraſeæ, magnique Catonis
Alloquio, vultuque frueris.
I tutus. tetricas nequidquam expaveris aureis,
Invitant encomia Vatum.
I toto Aonidum cœtu ſtipatus, & intra.
Pandit enim jam CLAUDIUS Aulam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

EPICITHARISMA.

ODE VI.

ET ſua ſunt ipſis oblivia Vatibus. ohe!
Quis mihi te revocet,
Nepos Atlantis, Mercuri?
MEMMIUS inquiret forſan: quatefactane tuſſi
Molliter oſſa cubent,
Poſt ſæva morbi prœlia?
Corpore num fracto ſolitas mittamur in arteis?
Quis ſcopus? è pharetra
Quò dirigamus miſſile?
Si potes abſentis (potes autem) admittere ſenſa:
Ocius iſta refer,
Tuis polita dentibus.
Narra: nos Belli ſonteis evolvere cauſſas,
Quo ferus arma Leo
Movit trucis Bohemiæ.
Non ea Pierio bacchantes frangimus æſtu:
Ardua Papinii
Quali caleſcit Thebais.
Scribimus Hiſtoriam nullo terrore ligatam.
Prodit aperta ſinum,
Soluta nodo, Veritas.
Illa comes Marti, tumulos ſcrutatur, & altis
Eruit è latebris
Sphynges ſenatûs bellici.
Quid video? Puer, ecce, puer Ganymedis amictu
Fulgidus, Ambroſiam
In noſtra fert ſoteria.
Spumantem pateram Maja ſatus impiger haurit.
Ebibe (quid dubitas?)
Ad uſque monſtrandum Nihil.
Quamquam ſi coram hæc ipſi mihi copia detur,
Non onerem phialæ
Numen meæ vicarium.

Ipſe

Ipſe queam venerans Bromio ſupponere dextram.
Nil habet uva meri
De penicillo Zeuxidis.
Eminus eſt aliquid, geniale exſugere votum,
Cominus, uda ſalus
Hauritur ore veriùs.

AD RICHARDUM LAMIDAM *Conſulem factum.*

ODE VII.

PYTHAGORAS POLITICUS.

SI tantò loqueris plura licentiùs,
Quod, RICHARDE, præes; ridicule furis,
Nam nec Sceptra diſertum,
Nec Faſces faciunt virum.
Pravi moris Herus, quem ſibi ſubditum
Frenavit taciti lege ſilentii;
Pleno convomit ore,
Audax imperioſiùs,
Jactans multa ſuper: quàm bene providi
Diſpenſet nitidum conſilii jubar:
Caſtigetque minore
Dignum ſupplicio Reum.
Audacem, famuli conditio facit,
Flectentis patiens opprobrii caput.
Reddit longa dicacem
Obſtipi taciturnitas.
Quo fructu, LAMIDA? quæ ſapientiæ
Ex hac ſævitia vibrat opinio?
Pronas farta, licebit,
Spiſſis plauſtra calumniis;
Demens: ſi, Geta quid cogitet interim.
Incluſus tacita compede, negligis.
Cujus verba timeres,
Muti non animam times?

Mens lingua potior. Mente reſelleris
Quæ culpat Dominum. *Maxima liberæ*
Servorum quoque Menti
Debetur reverentia.

Ad Ampliſsimum Dominum,
VVOLFGANGUM MICHAELEM SILBERMANNUM,
Palatinatus Neoburgici Cancellarium.

ODE VIII.

NEc te tranſierim, Muſarum gloria, noſtris
Intactum, VVOLFGANGE, Camenis.
Dum tecum vehor in ſilvis, mihi cognite primum,
Has etiam dignabere Silvas.
Quarum radices, ſparſas Aganippide limpha.
Melpomene depangere juſſit.
Quæ tibi de multis arbor ſtatuenda dicetur?
Qui cunctas à ſtirpe mereris.
Civis amans, Quercum; conſultæ Pacis, Olivam;
Contemnens mortalia Cedrum.
Palma viro forti, prudenti Populus alba
Debetur, rubicundaque Morus.
Sed potior Laurus. Laurus tibi debita Vati.
Pieridum conſortia jungis.
Ergo in Apollineis incidam carmina ramis,
Quæ creſcent, creſcentibus ipſis.
Sacrilegi non hos Eriſichthonis ulla ſecuris,
Aut Capaneus violaverit enſe.
Cum neque nimboſus framea delibet Opion,
Fulminea neque Jupiter aurâ.
Quæ prima inſcribam florenti encomia libro?
Unde canens exordia ſumam?
Plurima ſunt in te noſtros mulcentia ſenſus,
Ac laudum certamine digna.
Mirer lætitiam Mentis, quæ corpus in ipſum
Jucundo fulgore reſultat?

Moreis,

Moreis, Naturæ quidam decor afflat amœnus,
Et genium librata venuſtas.
An celebrem linguas, variis (ea copia ſandi)
Inſertas ex Gentibus ori?
Gallia te Celtis, Hiſpania credat Iberis
Progenitum, Florentia Tuſcis.
Primas Roma tenet. cujus ſermone diſertus,
Jam Gracchus, jam Tullius audis.
Libera ſive cupis torrens devolvere verba:
Seu tereti contexere nodo.
Utile conſilium præſentius affluit ulli?
Juris apex quem celſiùs ornat?
Libertas ſublimè natans, animoſaque, pleno
Facundum de pectore laxat
Eloquium: quo nec rigui precioſior auri
Diſtillat Danaëius imber.
Dotibus his geminam reples conſpectior Aulam,
Quàm ſilvis ſtet in omnibus arbor.
Nec verò ſtimulis huc ambitus altiùs egit:
Ne velles minor eſſe, rogandum.
Dignus honorari, precibus quem Gloria fuſis,
Et ſupplex Honor ipſe popoſcit.
Felix, ad Famam cui Virtus candida lætum,
Ter plauſo pede, præbuit omen.
Sic eſt: qui teneros pietatem immittit in annos,
Immenſum ſibi prorogat ævum.
Præcellis, qua parte tui meliore, ſerenum
Numen adis, Superoſque vocatos
Fas ſit, nota loqui. nobis facientibus Ara
Te vidit divina Miniſtrum.
Curriculum votis exples, ſpatiumque viarum
Metiris cœleſtibus Horis.
Hactenus icta meo cepit Penëia plectro
Signa, notas, vocalia Daphne.
Perventum ad calcem eſt. nec plura inſcribere poſſim.
Vive virens in ſecula Laurus.
Hæc dico Vates. ſtabis; dum flumine charam
Danubius pater alluet urbem.

Si qua Napæarum folium hinc decerpſerit: annum
Abſtineat captiva choreis.
Si pedis incurſu Satyrus, ſi læſerit ungui;
Sit ſacer, & pes ille putetur.
Si caput illiſit Faunus, cùm fortè coniſcat;
Sit ſacer, & caput expiet undâ.
Si mordere caper frondem temerarius auſit:
Sit ſacer, & mactetur ad aram.
At vos Pegaſeæ, propius ſuccedite, Nymphæ;
Formoſum mandabo laborem.
Ambroſiæ ſucco felix hoc ſtemma rigate,
Et violis incingite vernis.
Hîc citharam ſuſpendo meam: poſituſque ſub umbra
Paulliſper, VVOLFGANGE, quieſco.

AD CHRISTOPHORUM ASUNTIONEM.

ODE IX.

Phyſiognomia fallax.

NOlis ingenii pondera deprendere lubrico
Ex vultu Juvenis. fallit enim, fallit, ASUNTIO.
Frons porrecta, licet ſit Pario marmore lævior:
Vernent puniceo flore genæ: lumen amabiles
Accendant oculi; par madidæ quale jacit roſæ,
Cum vix nata mari ſurgit Eos: flavaque per caput
A radice decens, perque humeros, involitet coma.
Rarò tu fragili propterea credideris bono
Reſpondere alias Mentis opes. divitis ingenî
Non præſtat nitidus ſigna color. ſed neque pauperis
Simplex ruſticitas, turpe caput. ſæpius hoſpitem
Obſcurum genitore & vitiis putribus obſitum
Texit pulcra domus. contrà aliquem ſemideum caſa
Vili ſtructa luto protulit ad culmina gloriæ.
Præclarum et facies hiſpida celare animum poteſt.
Auri vena micat, quo minime reris, in angulo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

AD MARTINUM SIBENIUM S. I.

ODE X.

Revelat arcanum.

HAut latent Vates etiam futura:
Facta non noſſent? ſcio, quid marito
Dixerit Juno. ſcio, quæ Deorum
Acta ſenatu.

Pallas ex alta ſpeculata nube
Teutonum clades, doluit Lycæa
Marte ſubverti, ſtabulis equorum
Cedere juſſa.

Sævus ingentem dolor auxit iram,
Ora turbatam, laceramque crineis,
Et genas, Clio, manibuſque vidit
Pectora tunſam.

Pergat infandum tolerare crimen?
Dedecet. ſupplex eat ad Gradivum?
Quæ minor dici velit, aut rogare,
Femina nulla eſt;

Virgo præſertim: cui de cerebro
Patris effuſæ, metuenda ſurgit
Haſta præ thyrſo, rigidique colli
Sibilat Ægis.

Ergo mentitur Dea triſtis aſtum.
Gorgonis ſectæ faciem reponens,
Galliæ moreis, habitumque, & ora
Finxit, & arma.

Quippe Gradivo placitura, flecti
Poſſe nullius meliore vultu
Gnara Reginæ, tria geſa fortis
Sumſit Amazon.

Inde feſtinans rapido meatu
Tendit ad Rhenum, ſua tunc lavantem
(Sordibus Brumæ lutulenta) flavis
Cornua limphis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Quo loco fixis comes Anguieni
Fortè vexillis Deus, occupatâ
Non procul Spira, tenuit Philippi
Nobile caſtrum.

Adſtitit notis ubi viſa ſignis
Per Philippinos inopina campos:
Oſculo lætus venerante Mavors
Lilia preſſit.

Diva: Conceptis ſatis eſt litatum
Hactenus votis, ait, & triumphis.
Strage civili ſtatui rigatas
Linquere terras.

Conde mucrones: & in arva Thracum
Verte falcatos populanda currus.
Proferant juſtas Alemanna rurſus
Semina meſſes.

Marſpiter primò ſtupefactus hæſit
Exigens ſecum: ſtudio jocandi
Fallat, an veros animi loquatur
Seria ſenſus.

(Ridet obliquùm ſimulata Pallas,
Cauta celari) quid enim jubemur?
Cauſſa bellorum ſinuoſa Pacem
Gallia mandat.

Deinde: Jam dudum, ſoror, inchoatas
Mens erat nobis inhibere cædes.
Sæpe vagina volui cruentum
Claudere ferrum.

Semper abſcedo, revocorque ſemper.
Arma delectant homines profanos.
Si loqui fas eſt, cupiunt ab ima
Stirpe perire.

Tu ſuper ſi quid moveare Pace:
Mitte Legatos: bona verba dicant:
Arbitri. ſtrictis odio ſequeſter
Enſibus obſtet.

Eſt mihi, gaudens ſubicit Minerva,
Omnibus Muſis quoque notus Heros.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Qui per exſertas utriuſque ludit
Palladis artes.

Hunc meo fovi gremio cadentem
Ex ſinu Matris. moderata parvum
Ipſa lactavit, teneroque Virtus
Nectare tinxit.

Sexta maturos Trieteris annos
Intulit regno, paribuſque curis.
Nona jam plenum ſtadium virili
Laude cucurrit.

Grandis, Europæ caput æſtuoſo
Merſit Euripo. tumidos per Aulæ
Mobilis fluctus, patet enatanti
Portus honoris.

Quàm Deus felix Patareus arcu:
Tam petit certò ſibi deſtinatam
Gloriæ metam, jaculans acutæ
Spicula mentis.

Conſilî ſolers, & in anteceſſum
Providus rerum, celebriſque famæ;
Clauſa Fatorum, modulante pulſu,
Limina pandit.

Nubis immunes oculos per Orbem
Ducit, affixos ſtabili ſereno,
Pertinax æqui: liquidoque Verum
Tramite ſignat.

Quid? quod et doctis animum facetè
Serius feſſum ſalibus remiſcet.
Queis vel Euterpe ſuperanda, duram
Temperet aurem.

Myſticos ritus, Numa, proferentem,
Sacra Naturæ, ſtupeant Platones.
Ipſe facundum Cicero, canorum
Audiat Orpheus.

Invidi Manes procul hinc faceſſant.
Florido Pacem meus iſte Cultor
Invehet curru, veteriſque in Aræ
Sede reponet.

Utque

Utque Neptunus mare turbulentum
Pacat, incuſſo ſcopulis Tridente:
Sic meus Leges & amica Terris
Otia reddet.
Dixit, & clauſam reſerans pharetram,
Extulit ſparſas temere figuras:
Signa, quæ nullum, niſi juncta, nomen
Prodere poſſent.
At ſimul certo manifeſta nexu
Miſcuit: Noſter rutilo, SIBENI,
Pictus in lævis clypei refulſit
MEMMIUS auró.

AD PRINCIPES S. ROM. IMPERII.

ODE XI.

De Bello & Pace conſultantibus proponit Auctor Aquam & Ignem, Bonum & Malum.

Ergo erit illa dies, qua nos Aſtræa reviſet:
Bellona raſis exſulabit crinibus!
O bene, quod tandem ſapiens piſcator ab ictu,
Pœnis quietam fauſtitatem præferat.
Sic equidem. video Furias migrare nocenteis.
Luſtratur igni tetra ſulphureo via.
It malè diſcinctâ ringens Diſcordia pallâ,
Rabidoque Livor dente præmorſus jecur.
Ambitioque caput flavis innexa ceraſtis,
Et avara tectis ſcropha nummis incubans.
Aurea figuntur revocandæ umbracula Paci:
Odiis cicatrix ſauciis obducitur.
Jamque adeo veteri redeunt formata metallo,
Pulſis ahenis ferreiſque Secula.
Nobile Saturni rurſus tranſitur in aurum.
Hinc Gaudiorum Mons & Aula ſubſilit.
Pax animos, Pax flore comas, Pax ora ligabit.
Stabunt perenni ſculpta ſaxo Federa.

Diſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Diſcurret Charitum pacatas Triga per urbeis.
Ubicumque ſiſtit, defluunt molles roſæ.
Caſta quies, & certa Fides pilenta ſequuntur.
Equos pudicus frenat albenteis Amor.
Mulciber incluſus poſthac fornacibus Ætnæ;
Aratra tantùm cudet ac venabula.
Sola Ceres ferro Dianaque noverit uti.
Enſis ligoni, galea falci ſerviet.
Sive caſam pulſare volet, ſeu fortiùs arcem,
Fortuna dextrâ ſemper utetur manu.
Laurigeri feſta vernabunt fronde Penates,
Vigil caminus provocabit hoſpitem.
Heſperus adſpiciens noctu convivia, manè
Alio reverſus ore, longiùs trahet.
Marcida capripedes inviſent oppida Fauni,
Leporeſque & apros dona menſis offerent.
Patriciis miſtæ Dryades, ſine more, puellis,
Jam fluida ducent fila, jam choreas agent.
Evius inſerpet rimis poſcentibus uvam,
Per & feneſtras in vitrum ſe porriget.
Nec ſoli vitis contermina nupſerit ulmo,
Cujuſque trunci fiet uxor muſtea.
Inſuper effuſo ſtagnabunt nectare ripæ.
Undoſa florens mella ſudabit rubus.
Tunc Artes, tunc Pegaſidum lætiſſimus ordo,
Formoſa ruri partientur agmina.
Dediſcent ſævire lupi: viſaque videbit
Non raucus illos paſtor attonitos ove.
Numquã agnos, capreaſq; gregis numerabit, & hœdos,
Securus alto dormiens Mopſus jugo.
Ille ſuam tutis cantans Amaryllida ſilvis,
Maronianas duplicabit Eclogas.
Evenient animis coëuntibus iſta, Quirites,
Quòd ſi recuſat pertinax belli furor,
Vultibus averſis, placidam componere Pacem:
Hæc dico Vates, incitatus Numine;
Mars infra ſupraque ruens, ſeptemplice gyro
Turbata circùm regna terrarum dabit.

Nemo

Nemo immunis erit. cum Teutone Cimber & Anglus;
Gallique Iberis, Pannones miſti Dahis:
Et Batavi Suecis, fato involventur eodem.
Commune fiet quodque privatum nefas.
Thracius extremis veniens è finibus hoſtis
Depaſcet omneis, ut pruina vineam.
Pariſiis æque dominabitur, atque Viennæ,
Fœda tyrannus tabe Machometis ſatus.
Omnibus Othryſii templis jubar inferet aſtri,
Sanctum fugabit ſiderum pellex chorum.
Eheu! barbarici cogetur juſſa Tiaræ
Corona ſupplex oſculari regia.
Mox trucis incipient Lunæ procedere menſes.
Vis, jura pellet. Lex, erit crudelitas.
In latus & frontem calcaria Biſtonis ibunt,
Fixâ clientes vulnerantis ungulâ.
Fingo Othomannigenam muliebriter otia ferre,
Quamvis paventeis nos, inaudacem ſequi.
O proceres, quoniam Pax eſt inviſa, meremur
Spectare, quidquid ex Cothurnis prodiit.
Ipſi Cœlicolæ, Rhadamanthi Judicis urnam
Preſſo movebunt luctuoſam pollice.
Fulminibus raucis concuſſus mugiet Æther.
Etiam tonabunt ſidera, ignaro Jove.
Arma voment nubes, ningetque bipennibus albis;
Ferrata quæ nox imbre diſtinguet nigro.
Hinc erumpentes, nullis auctoribus, ignes,
Cineribus altas prorſus operient domos.
Urbibus informem pagiſque ardere Saguntum,
Horrebit inde civis, inde ruſticus.
Ergo in cognatas cædes vertetur Enyo:
Perimetque patrem filius, nepos avum.
Armorum ceſſante metu, corrupta bibentur,
Sparſo venenis fonte, paſſim flumina.
Nulla dehinc pariet ſciſſo niſi femina ventre:
Voletque tantùm parere, quo pellat famem.
Lurida non homini præbebunt pabula mures:
Hominem ſed ipſum luridi mures edent.

Deſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Deſertoque foco flammæ per tecta volabunt,

Mirante natum matre coctura ſuum.

Omnia concurrent mala derivantibus aſtris:

Pejora primis, ſemper in pejus ruent.

Fruſtra implorabunt quoque pulvinaria Divûm

Tam plebs ſtolata, quàm togata Curia.

Averſata preces & murmura ſupplicis Ara,

Cum ſtrage, pronis ac ſupinis incidet.

Hæc dixi Vates. quæ ſi non compleat uſus:

Non eſt locutus noſter in nobis Deus:

Ad Clariſſimum Virum

GASPAREM BARLÆUM.

ODE XII.

Placita Monacenſis Stoæ.

QUamquam nos ſpatio ſepoſitos maris
Longinquo Batavus dividit Amſtela,
Conjunxit ſtudiis te propiùs mihi
Famæ laus Heliconiæ.

Rupes nulla ſacris invia Vatibus:
Nullum ſiſtit obex impenetrabilis.
Per muros etiam rumpit aheneos,
Et ferri triplices moras.

Hocne diſſimulem, Pierios procul
Ablegabo ſonos; ut tamen audias
Vel, BARLAEE, domi; cui ſtatui meæ
Mentis ſenſa recludere.

Vilis ſollicitæ gleba Pecuniæ,
Puratur placidum pectoris otium.
Odi Divitias, quæ precio mea
Augent; me rapiunt mihi.

Quæ parvis animis maxima, parva ſunt
Magnis. hoc potiùs poſſideam Bonum;
Quod majus reliquis, tempore carius,
Uſu fit melius ſui.

Muta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Mutatis vicibus, quæ poterant dari,
Auferri poterunt. ut caream metu,
Nec ſperare velim multa. volaticas
Spes ſemper ſequitur timor.
Inter Biſtoniæ claſſica buccinæ
Pauper non trepidat. nam patrimonii
Securus, ſolida perpetuò SUUM
In gaza retinet NIHIL.
Sic cum bella ſtrepunt, cornua mugiunt;
Hoſtilis rabies diripit oppida:
Certum eſt, à Getico milite non peti
Vel me, vel mea Carmina.
Plebs deſideriis æſtuet improbis.
Lis deciſa mea eſt. vinco cupidinem.
Non poſſum vagus acquirere plurima?
Poſſum plurima ſpernere.
At non purpureæ delicias gulæ
Sumtis Pythagoras invideat fabis.
Puram Diogenes haurit aquam manu,
Ridens fruſtra cucurbitæ.
Pavones, & apros Rex, & eburnei
Dentes orta ſolo tubera mordeant.
Me ſimplex, modico farre, domeſtica
Jejunum ſaturet penus.
In menſam veniunt Cæſaris oſtrea:
Et ſuccincta vagis Cura moleſtiis.
Ignis depopulans, Teutoniæ focos,
Nidorem dapis inficit.
Perſonata ſubit tecta Beatitas.
Hinc, quæ portat opes, ſceptra, crepundia;
Prodeſt antè manu, quàm capias ſinu,
Pulcram ſolvere faſciam.
Damnari fugio ſupplicio Rotæ:
Seu latronis erit, ſeu Rota Temporis;
Seu quam Sors rapido turbine volverit
In ludibria mobilem.
Ferri dura memor poſſe, feram: neque
Fortunæ querulus blandiar aſperæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Eſt quædam in modiis torva doloribus
Majeſtas Patientiæ.

Quid, Fortuna, jubes? ut patiar? volo.
Ne lætus patiar? nolo. tuo ſatis
Feciſti officio. me ſine jam meum
Æquè fortiter exſequi.

Vexaſti Maciem tabe veterrima:
Straviſti Capitis membra periculo:
Hoc eſt, in luteo carcere, nauticas
Laxaſti mihi compedes.

Libertatis amans Spiritus evolat,
Ni ceſſas. quod enim fronte minax malum
Infers; aut levius, quàm cupias, erit;
Aut ſi ſit nimium, breve.

Ægro quid faciam corpore debilis?
Si remos Aquilo velaque ruperit;
Si malus medio frangitur æquore;
Caſus dictat, ut enatem.

Major tunc Animus, cum citat ultima
Fatorum ſtabili Lege neceſſitas.
Cur mortem metuam? vix venit, & fugit,
Punctum temporis unicum.

Refert; prævaleat Mors, an Opinio.
Non toti in vapidum ſolvimur aëra.
Semper vita manet ſalva merentibus:
Vivendi modus interit.

Si finem inſpicimus, Fabula vivitur.
In ſcena populos Mundus hic exhibet.
Applauſum meruit ſæpe breviſſima,
Non quæ Fabula longior.

Jamque exſolvo fides. Melpomene, lyram,
Hærenteiſque nigris pone roſas comis:
Ut glauca ſpecie Najados influas
Magni faucibus Amſtelæ.

BARLAEO referes, quod cecini, Melos.
Mox formam abjicies Oceanitidos,
Monſtrabis faciem clara ſororiam,
Ac Fratrem revereberis.

Hic

Hic eſt, qui titulos, oraque Principum,
In ventura potens ſecula, conſecrat:
Qui te jam toties, fallere callidus,
Phœbi luſit imagine.
Impleviſſe nemus nuper Apollinem
Divinis Citharæ credideras, modis.
Erraſti. (veniâ quod liceat tuâ)
BARLAEUS fuit abditus.

In Pharetram Pſeudo-politicorum.

ODE XIII.

AT tu nequitiæ Theca ferax, & ſapientiam
Ementita Domus; cum jaculis ut pereas tuis,
In furno Liparæ, Tartareus facta cinis, precor.
Qui te cumque faber condidit, & ſævitiæ dolis
Inſtruxit gravidam: ſive latro Sarmata, ſeu Sinon
Florentinus erat; tres meruit ſternere Culeos,
Seque implere fera. quattuor, hæc una nocentior.
Quamquam aurata micat purpureis exterior roſis:
Et gemmæ teretes circumeunt, & radiantium
Alludens oculis criſpat ebur miſſilium ſeges:
Intus funereæ plena ſcates, Arca, putredinis.
Taxo te ſtygia, cum pharetram poſceret Hercules,
Compactam tabulis naufragii Tiſiphone dedit.
Plumbum ventre geris; ſpicula, quæ non feriunt ſcopum
Virtutis; procul hinc à vitiis ſepoſitæ. Polum
Numquam tela petent, ex pheretro rapta Tiberii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Ad Illuſtriſſ. Comitem

CLAUDIUM DE MESMES,

Gall. Leg.

ODE XIV.

Auctoris ſuſpiria ante Tabulam Coſmographicam.

EN, hoc eſt illud, CLAUDI, mirabile Punctum:
In quo, tot annis, Cæſares
Aſpera bella gerunt!
Dic: ubi ſe latis Pharſalia porrigat arvis.
Aut Xerxis illa claſſibus
Obruta ſtilla fluat!
Heic tamen armatas acies videre Philippi:
Medique puppeis, Nerea
Extimuiſſe ferunt.
Dividitur Punctum gladiis: luſtratur & igni.
Miles ſagittis eminus,
Cominus enſe petit.
Utque pila quondam dubio quæ ſubſilit ictu,
Ludunt datatim Principes:
Dum ſibi quiſque rapit.
Heic Caſus & Fata tonant: Fortunaque merceis
Vendit; torum, cunabula,
Sarcophagumque Venus.
Heic nidos, Capreaſque ſuas fixere tyranni:
Quotquot cruore civium
Ebria Roma tulit.
Heic vixit, cui prima fuit, ſimulare, voluptas:
Vitæ voluptas altera,
Diſſimulare, fuit.
Heic Galbæ ſteterant: heic ſaltavere Nerones.
Heic Adrianus ſeſſile
Ædificavit ebur.

Iſtud

Iſtud adhuc hodie, quot non in prœlia, Punctum,
Honoris ictu pectora
Ambitioſa movet!
Egit in hoc Suecus circum GUSTAVUS habenas.
Sed mox caduco lubricam
Funere plauſit humum.
Hanc Guttam Batavi ſilvis nutantibus intrant.
Sulcantur altis molibus
Turrigeriſque freta.
Ah miſeri! quàm vos modica verſatis in urna!
Quantum natatis gurgitem,
Parvula muſca tegat.
In qua certatur, tenui pro pulvere, tota
Ut vaſta ſit, non integram
Implet arena manum.
Eheu! cur homines vitio damnantur habendi?
Non ſunt avari. criminis
Turpe remitto probrum.
Anguſto Reges contenti limite vivunt.
Arctis meant canalibus
Vota modeſta Ducum.
Ut parvo dormire queat, deſudat Iberus.
Gallo canente, rumpitur
Excutiturque ſopor.
Exigua & vilis projectæ portio glebæ,
Unumque Punctum ſufficit.
Pars quota cuique ſua eſt!
Atqui ego confiteor faſtum, & majora capeſſo.
A dignitate ſiderum
Degenerare pudet.
Non patiar, quando Domus eſt vaſtiſſima, Mundus;
Imum retrudi in angulum,
Ceu ſcabioſa canis.
Cuncta tegens Cœlum, qui Punctum hoc circulus am-(bit;
Noſtræ locus ſuperbiæ,
Quin erit ipſe DEUS.

AD PRINCIPES ROMANI IMPERII.
CONCORDIA
Nodo Gordio fortior.

ODE XV.

ENſis, an ingenii, quid refert, viribus hoſtem
Sternas, vel urbis arduæ expugnes ſitum?
Ponere mortales quidquid potuere lacerti,
Poſſunt cædem diſſipare, ut pulverem.
Troja docet; Babylonque illo de ſulphure coſta
In quod redivit uſta verſis turribus.
Ludibrium totis Rhodii fragmenta Coloſſi
Jacuere ripis, & camelis turpibus.
Altera Troja jacet: Romanaque mœnia Romam
In Urbe quærunt. quærit iſta Romulum.
Stant vacui rictus Circorum Augia Theatrum eſt,
Tuumque, Magne, ſordet, & tuum, Tite.
Scilicet humanis nil eſt durabile rebus.
Exſtructa Caſus, cætera aſtus ſubruit.
Quam ſtultus grex ille Phrygum! ſua lora putavit
Solvenda nullis manibus, ex oraculo.
Pellæus Juvenis ferrum fatale popoſcit:
Unoque ſecuit myſticos ictu ſinus.
At non & nodum poſſit diſcindere, qualem
Vobis, Quirites, offero ſeptemplicem.
Jungite concordes in mutua fœdera dextras:
Et nulla ſanctum Vis reſolvet vinculum.
Stet ſine fraude fides: bella, in commune trahantur:
Dicto volenteis Pax ſacramento liget.
Hoc ſatis eſt. veniat Macedo recutitus: Eoa
Ab arce plenas ſpiret horroris minas.
Surgant, Guſtavus tumulo redivivus, & omnes,
Quos æſtuoſo Balthis eructat freto.
Ut remos contoſque levent in verbera Sueci,
Virtute ſive, ſive rupturi dolo:

Nil poterunt. vano tantummodo ſaucius aër
Frementis Hunni ſibilabit vulnere.
In medio ſacri reſidens CONCORDIA nodi,
Brutam laceſſet irreſerta dexteram.
Nec vero ſetis opus eſt, aut cannabe terra:
Ut implicentur lora, flexu Dædala.
Pro ſpiris ac fune, rudentibus atque capiſtris,
Bombyce ſtamen evolutum ſufficit.
Ex viridi ſint fila licet tam tenvia byſſo,
Arachna quàm quæ ventris educit penu.
Qualia nec teneræ fugiant geſtare Puellæ,
Etiam Catulli delicata Lesbia.
Dummodo nectar Amor menteis, jurataque verba:
Erit iſte nulli Nodus expugnabilis.
Si quis Alexander gladio, vel acinace Turca,
Clava vel Indus, vel Gelonus falcibus,
Vel tragula Pœnus, vel Parthus ſolvitur arcu:
Vult diſperire mille Vates mortibus:
Totque gulam ſtringi laqueis, arcana quot intra
Iterum fuerunt involucra Gordium.

AD MARCELLUM LANIRIUM.

ODE XVI.

Character Benevolentiæ.

PLebi foris liceat fallere; Prætoribus, eſt nefas.
Æquet verba fides. Tu, LAMIRI, ſi quis amicior
Supra vulgus iners, largus opis, ſpes foveat tuas:
Non frontem placidam, non oculum dulciter uvidum
Curabis, neque mollis liquidos eloquii modis.
Quid præſtet, videas; pollicitis factane conſonent?
Ajat, ſive neget; devoveat, juret: at hercule
Tantundem tibi ſit; ſi jubeat ſcindere litera.

AN-

ANNULUS GYGIS,
ſive

Exploratio Virtutis ac Gloriæ

ILLmi ac REVmi DOMINI D. FABII CHISII,

Epiſcopi Neritonenſis,

Sedis Apoſtolicæ ad Tractum Rheni, & alias inferioris Germaniæ partes cum poteſtate Legati de latere,

Nuncii Ordinarii,

& ad Tractatus pacis univerſalis, Monaſterii Nuncii Extraordinarii, &c.

ODE XVII.

SEmper ego auditor patulas tantummodo vendam
Immodicis rumoribus aureis!
Senenſem FABIUM ſuper aſtra jugalibus albis
Fama vehit. laudatur & abſens.
Enumerantur opes mentis. Prudentia vivis
Natura de fontibus hauſta:
Incorrupta Fides: Aſtrææ cultus, & æqui
Temperies in culmine Juris:
Eloquii vires fracturæ claſſica Martis,
Sub primi certaminis ictum.
Queis concurrenteis ſcopulos quoque ſiſteret Alto,
In mediis ſymplegadas undis.
Pluraque narrantur, quam credere poſſit Apella
Immani diſtentus hiatu.
Non ſatis eſt, alios hoc ſcire, & dicere; multi
Spectarunt. ſpectemus & ipſi.
Atqui ſollicito deludet CHISIUS aſtu,
Ne pateant arcana Poëtæ.
Odit enim ſcenas, & pleno digna Theatro
Facta ſagax abſcondere novit.

Inveniam tamen arte viam; nullique videndus,
Cuncta videns, penetrabo repoſta.
Eſt mihi, quem ſolum Paupertas læta reliquit,
Pierio ſacer Annulus auro,
Ex Helicone datus. Gygen habuiſſe, vel iſtum,
Vel ſimilem memoravit Apollo,
Flexilis in Thyrſi ſinuatur ſpira figuram,
Civileis imitata Coronas.
In gemma cælata Lyra eſt, quam circulus ambit
Ex ſpira flavente retortus.
Adjecitque Deus: Potes hoc, Dilecte, metallo,
Ad ſonitum Teſtudinis uti.
Si palam invertas; non adſpectabilis ulli,
Adſpicies tamen omnia coram.
Utar eo. Subiit celebrem modò CHISIUS urbem,
Antiquis, Mimigardia, dictam
Inſuetum quis monſtrat iter? vetat ire rigenti
Strata ſolo nix plurima vatem.
Pegaſon abduxit ſtabulo BARLAEUS olores
Terret hiems, geliduſque December.
Siſtite me, Muſæ, (nam vos transferre poteſtis)
VVeſtphalicis me, ſiſtite terris.
Deferor extemplo. nunc eſt opus auſpice Phœbo,
Et ſpecula, tacitoque receſſu.
Divinaminprimis moneor compeſcere lucem.
Phengiten premo pollice verſo.
En, ille eſt FABIUS Romani Nominis heres,
Laudari quem ſæpius audis!
Obſervabo Virum; quoque it, comitabor euntem
Umbra velut longiſſima corpus.
Ad Templum primò: quando hujus cura vocavit;
Digna loco quoque principe poni.
Ut ritus, mitræque decent, & vota! Verendam
Purpureus ſtat Præſul ad aram:
Quo decus Allobrogum ſtetit ore SALESIUS olim,
Delicium terrorque Genevæ.
Ex imo ſingultit amor, quum nube ſub alba
Oblatum pius immolat Agnum.

Abſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Abſiſtunt flammæque oculis, & turis acerrâ
Miſta petunt ſuſpiria cœlum.
Sic ô Germanis iratum magne Sequeſter,
Sic pergas placare Tonantem.
Egreſſum excipiunt ſtantes longo agmine Curæ,
Et ſeries numeroſa Laborum.
Pontificem ſimul Aula vocat, ſimul Ordo Senatûs:
Flenſque pedes Alemannia lambit.
Heu miſeram ſortem! quis tanta negotia ſolus
Expediat? quæ mille fatigent,
Non ſuperant unum. facilisque ac liber ab atra
Emergit caligine rerum;
Contra Fata fremens. moto ceu marmora pontus
Si quando deſpumat in aſtra:
Tetra maris facies. augent certantia ſecum
Diverſo mala nomine noctem.
Ipſo actum de Sole putes: nec velle ſerenum
Ex tenebris, nec poſſe reverti.
Vix caput extulerit Nereus, placideque ſeverum
Difflavit ſuper æquora numen.
Unda cadit, fluctuſque ſilent, ventique recedunt.
Pura datur convexa tueri.
Haut ſecus immenſam molem, varioſque tumultus,
Sive forum, ſeu curia jactet:
Seu Furiæ, ſeu bella tenent; moderatur, & aufert
Antiſtes, ac temperat Orbem.
Felix, cui rerum dedit experientia forti
Conſilio ſupplere Tridentem.
Conſiliis ſe regna levant: tumor iraque regum
Ac populi componitur æſtus.
Cui loquitur? Venetine decus Te cerno Senatûs,
O ingens ſpes altera pacis,
CONTARENE? aliter Numa conveniſſe Catonem
Non poterat, ſi ſecla tuliſſent.
Talia FISCHERO comiti veſtigia junxit
Summus apex tuus, Anglia, MORUS.
Alternis in verba meant ſuadentia pacem:
Alternis ſua ſenſa reſignant.

Quis modus Imperii: quo fonte pericula manent:
Cur Aquilis Flos Martius obſtet.
An ſecura quies Turcis ventura ſubactis.
Quem foveat Concordia nidum.
Vivite felices, placidaque in ſede recepti,
Eja, animas confundite veſtras.
Sed trahit ulteriùs noſcendi plura cupido.
Jamque ſuas ſubit, inſequor, ædes.
Ex urbis ſtrepitu poſtquam intra limina greſſum
Non tulit: juvat ire per omneis,
Quas coluit Latium, quas Græcia tradidit artes,
Aque Sophis demiſſa Vetuſtas.
Scribit digna ſuo Pyrrhus quæ ſignet achate,
Theſpiades referente novenas.
Mox Vaticanam percurrit epiſtola Romam:
Inque animis auctore triumphat.
Nec non Aonio voceis ſcit flectere gyro,
Et noſtris advertere ſertis.
Mœrenteis Elegos, Flacci geminata voluptas
In Lyricis concentibus urit.
Ingenii vena fluidum protruditur aurum,
Et blando cum murmure ſerpit.
Uſque adeo jam certa fides, juvenilia primæ
Ætatis libamina, verſus,
Uberibus fudiſſe ſuis cum lacte Thaliam.
Hujus eras, Senenſis Alumne.
Vernant metra roſis, & nexilibus hyacinthis,
Et violis, & Chloride totâ.
Non ita Medorum phaleræ, non cingula fulgent
Ignivomis diſtincta lapillis.
Credam &, cum caneres, Daphnem trepidãtibus ulmis
Conatam prenſare Camenas,
Amplectique ſinu. credam inclinaſſe cacumen
Cyrrhæo cum vertice Pindum.
Singula contemplor. non frangunt otia corpus:
Non animum faſtidia libant.
Aut themis, aut Pallas diviſis occupat horis,
Aut Pietas ſuccurrere promta.

Quin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Quin epulas etiam, docto ſermone fragranteis,
A ſtudiis intercipit ardor.
Cura tenax feſſum quæ ſero veſpere ſopit,
Aurorâ vigil excitat ortâ.
Atque ſuas cœlum ſtellas, ſic ſemper in orbem
Legatum ſua machina volvit.
Hanc potiùs, Delubra, Domum, rupemq; tremendam
Cumanæ rear eſſe Sibyllæ.
Tot foribus reſponſa ſonant: ſententia Patris
Conſcripti, cenſura monentis,
Judicis arbitrium, venerandi oracula myſtæ,
Laurigeri præſagia Vatis.
Quidquid agit, numero, menſura, & pondere conſtat:
Quod proprium fecere ſibi Dii.
Obſtupeo, qualis coram Salomone Sabæa
Circumfuſa tot undique monſtris.
Nec mediam partem ſuperata Colonia nobis
Vulgaſti. tacuiſſe decebat.
Quæ minuit meritum, quæ cornua truncat Honoris
Hîc auget præſentia Famuli.
Non centena mihi ſi præpetis oſtia linguæ,
ſi totidem ſint ora, quot oſſa;
Sufficiam titulis. tantas evolvere laudeis
Smyrna nequit, Venuſinave Clio.
Luſtratas doteis vel percenſere fatigor.
Prima trahit connexa ſequentem.
In pelagus videor mihi deſcendiſſe profundum.
Victa timet facundia mergi.
Fluctibus obruimur. turbatum illuſtria fundo
Abſorbent encomia Nautam.
Caſtaliis ſubſidit aquis mea Cymba canori
Diſſiliunt cum carmine remi.
Ut ſalvus teneam portum: diſcrimina reſtant
Majori pulſantia motu.
Ingens ſeſe aperit, nec ſperem exſcindere, Silva.
Veſtit ovans tot Gloria ramos.
Lucus Apollinei contemnit pectinis ictus.
Poſt cæſam nova germinat arbos;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Et creſcit ſub falce ſeges: ridetque metentis
Sudorem denſiſſima Virtus,
Laſſor: & ipſa ſuis audacia plectitur auſis.
Phœbeum quin reſpuo munus!
Annule Cannenſis, jam non ſacer Annule Gygis,
Heu, quanto me crimine damnas!
In caput, & Maciem noſtram fatalis, atroci
Cum probro diſcedere cogis.
Profuerat tentaſſe minus. damnabimur unà.
In Famam peccavit uterque.
Sit tamen hic tanti culpæ tam nobilis error.
Laude meum temerarius œſtrum.
Reddite me Muſæ (nam vos transferre poteſtis)
Iſareis me reddite Bojis.

ODE XVIII.

Cum WOLFGANGO MICHAELE CLARI-*o Caſtra Germaniæ perluſtrat.*

ENTHUSIASMUS.

NOn ille Vates ſum, cui flammeos
Nubes caballos offerat hinniens,
Lucìſque nimboſæ quadrigam:
Sum tamen ex Helicone Vates.
Ac Muſa nobis præparat eſſedum
Lauroque ſtratum, & frondibus æſculi,
Myrtique, palmæque. O curulis
Pegaſeis agitanda loris!
Vehamur ergo. Tu prior occupa,
VVOLFGANGE, ſedem. me quoque vexeras:
Olim: jocoſus cum vagantis
Nos famuli ſequeretur error;
Et in duobus, prô Superi, locis
Pararet uno tempore prandium!
Aſcende. ſic Virtus, & hujus
Poſcit Honor comes. oro: nolis

Moreis Poëtæ pauperis, Atticos
Feciſſe. vilis ſum mihi conſcius
In corde glebæ. ſcande currum.
Si præeo: facies ſceleſtum,
Haut obſequentem. Dii reprimant. priùs
Se temo vertat laureus in pyram
Rotæque in angueis: & retorti
Danubii fluat unda retro.
Omitte cultum. Per Charites rogo,
(Sunt Tres) per iſthæc Numina, (ſunt Novem.)
Ut ipſe præcedam! pudore
Indecore oneramus, horas,
Ipſumque ſolem perdimus, & diem.
Plus Aula juſto comtior, eſt meo
Inviſa ruri. ſic ſequemur.
O nitidi levis aura cœli!
O intepentis flabra Favonii!
O grata lectiſternia nubium!
O temperati tergus, Euri
Seſſile, roriferumque mitis
Pulvinar Æthræ! fabor enim tibi,
VVOLFGANGE. Cœlum, quod Monacenſibus
Incumbit, adſpiratque Bojis,
Acrius eſt, nimioque ſpiſſum
Lapſu vaporum præcipitat caput.
Undo & catarrhis ſæpe trabalibus
Tuſſique taurinâ gravamur;
Ad fluidam bene macerati
Pulmonis umbram, atque animæ metum,
Ad uſque vivæ mortis imaginem,
Ad uſque veram. nempe, quidquid
Bojugenis miſeræ Tyrolis
Montana Lernæ deſuper inſpuit,
Hoc exedendum eſt. Adde quòd heic vices
Non ſervet Annus. Vir & Æſtas
Circumeunt breviore gyro:
Plus verò ſeptem menſibus Æolus
Hiemſque regnant. Martius, imbrium

Ferax, pruinarumque, ventis
Certat adhuc, ſolidæque Brumæ.
Ceſſiſſe putreis finge nives. quotus
Sicco per hortos ingreditur pede!
(Namque iſta vulgi, vota, numquam
Vana reor) quotus eſt Aprilis
Caſtus, nec ulla fraude Sinonius?
Qui purget agros, qui tepidùm fleat,
Ridente poſt carecta Majo,
In violis, platanove ſubter!
Breve eſt ſerenum, & grandine pellitur.
Aquoſa lippæ copia Plejadis
Succedit, Arcturique frigus.
In Scythia, puto, Taurianâ,
Ipſoque ſeptem ſub ſtabulo boum,
Haut ſævius ſit vivere. Carmina,
Quæ ſcribo, de Ponto videri
Miſſa queant, gelidave Peuce.
Hinc, leniori mulceor halitu.
Delectat uſus rarior aëris
Clarique vivique, & remotâ
Sepoſiti regione cœli.
O molle ſicco flamen in æquore!
O ventilandis apta meatibus
Procella pennarum, volanti
Strata toro, Zephyriſque nata!
Plumas olorum vincit, & anſerum,
Doctique Belgæ picta tapetia,
Serumque lanam. noſter, ecce,
Nubivago volat axe currus.
Flectamus illuc. Adſpice Teutonum
Diſtincta certis Caſtra mapalibus.
Sinus platearum patenti
Sunt in agro, ſpeciemque vaſti
Præbent Cairio Puniceis ubi
Tentoriorum carbaſa vinculis
Adſtricta circumſtat ſatelles:
(Cerne ſariſſophoros) videntur

Summo

Summo ſecundas à Duce proximi
Fixiſſe ſedes, curribus undique
Haſtiſque præſeptas. ſed unam
Excubiæ ſtatione cingunt.
Permutat horæ circuitus vices.
Quis ille contum Centurio manu
Protendit, adſtantemque tovus
Alloquitur? jubet, anne juſta
Exhaurit? At non & cava tempora
Pulſare neſcit. ſcipio, frangitur
Ictu ſub incurvante dorſum.
Quam ſubitis calet ira flammis!
Qua lege vivant, cerne, Gregorii.
Ad nota quivis pabula vertitur.
Hic cædit agnos, ille vaccas.
Hic vitulum trahit, iſte taurum.
Nemo ex rapina vivit. amiciùs,
Purgantur ædes. ſic rapere, omnibus
Commune, idemque eſt ac paciſci,
Cumque fide numerare cenſum.
Hoc emtionis non ſolitæ genus,
Ut mille plagis ruſticus ejulans
Pulloſque gallinaſque vendat,
Mos facili ſtabilivit uſu.
Emenda merx eſt abſque pecunia,
Queis nulla, vel tam rara ſtipendia
Solvuntur: accepti quotannis
Vix quater ut meminiſſe poſſint.
Movere bellum, ſcribere copias,
Turbare mundum; non ego dixerim
Regum eſſe, ſed nummos habentis.
Qui caret his; licet à vetuſto
Divinam Iulo ducat originem,
Clarus coronis ac titulis potens:
Bellare ceſſet. ſervit auro
Miles inops. ubi magna merces,
Jam juſta cauſſa eſt, ſorſque benignior.
Nam quis, CLARISI, Fas modò vel Neſas

Examinatum mandat armis?
Vis potior valet: eſtque virtus.
Quamquam hoc dolendum. flebiliùs queror,
Magis pudendum. quo minus omnium
Neceſſitati quantacumque
Sufficiat penus atque præda:
Avara paucorum illuvies facit,
Ad ſe trahentum cuncta. bibent Tagum,
Gangemque, Pactolumque & Hermum;
Nec biberint ſatis ex quaterno
Venæ micantis flumine. plus ſitit
Plus potus iſtis fontibus. arſerit
Horum ſupellex tota gemmis.
OEbalio ſaturata fuco,
Pictiſque limbis, murem olet Indicum,
Felemque veſtis. Dicite milites:
Cur zona, vaginæque veſtræ
Cœruleos imitantur igneis?
Ducti ſmaragdo quid faciunt ſcyphi,
Orbiſque ſilva ſectus Atlantide,
Ludentis in menſa tribuni?
Qui tenuis fuit ante tonſor.
Proh feminarum quantus in agmina
Se fudit œſtus! plena Mimallonum
Deſpecto Baccharumque caſtra!
Thyas adeſt & ubique Mænas!
Si ſunt Camillæ, ſunt tolerabiles.
At non licebat Romulidas ſequi
Scortis, & inceſtare Martem
Moribus opprobrioque vitæ.
Sint fœda quædam gaudia militum.
Effrena rupto fune licentia,
Vanæque libertatis umbra
Mulceat, illecebriſque falſis,
Danteis Gradivo nomina. triſtibus
Penſantur, eheu! deterius malis.
Guſtata mellis gutta, felle
Obruitur, velut hauſta ſummo

Carina ponto. ſemineces eunt,
Vide Clarisi, corpora luridi,
Vultuſque fiſſi. pars honeſtæ
Lucis egent, oculos abacti.
Pars claudicantis fragmina tibiæ
Trahunt ad uncum. vapulat hic flagr's:
Evaſit alter vix ſecurim.
Nudus hic eſt, mutilatus ille.
Quod pejus iſtis: ſic quoque peſſimi
Luenda peccant. Non timor ætheris,
Non Mortis, inſtantiſque Averni.
Heu, miſeræ ſimulacra vitæ!
A finiendis quippe doloribus,
Non finiendos maxima pars adit:
Iidemque diverſo locorum,
Heic & ibi, cruciantur orco.
Jam ſtare credas Ditis in atrio,
Et ferre pœnas diſcere compares.
Plumbum, cicatriceſque, fuſoſque
Ære tubos, & iniqua portant
Tergum gravanteis pondera, machinas.
Volvisne ſaxum, Siſyphe, grandius?
Intuta percurrunt viarum:
Nec requies datur ulla laſſis.
Huc, verberati, ceu pila mobilis,
Jactantur, illuc. ſæviùs in rota
Torqueris, Ixion? inani
Ventre famem, calidamque geſtant
Exarefactis viſceribus ſitim.
Collata quid ſunt flumina Tantali:
Et ſuetus Auctumnus fugaci
Perpetuum reſilire ramo?
Vultur relinquat dum Tytii jecur;
Horumque fixo pectora verberet
Cruenta roſtro; concoloris
Supplicii tolerare formam, &
Tantiſper atros paſcere plurimi
Corvos, ab alto ſtipite penduli

Coguntur: & veſtire furcas,
Ludibrium morientis uvæ.
At ô ſceleſti, ſiſtite vindicis
Exæſtuantem pectoris impetum.
Cur voſmet immolatis ipſos,
Ante diem lituoſque, morti?
Vanam paventeis dedecoris notam,
Ventoſa faſtu lingua; vel ebrios
Crudelè Centauras rubenti
Tincta mero, vocat ad duellum.
Vix provolavit crudius inſcio
Ex ore verbum. protinus ad manus
Venitur, & cæſtus, & enſem,
(Ogygii Polynicis arma.)
Per ipſa Pluto vulnera proſpicit.
Tantis apertum pectus hiatibus
Diſceſſit in coſtas. Leænæ
Dixeris & bovis eſſè pugnam.
Quandoque ludunt. utque pium ſcelus
Mactet volenteis relligioſiùs:
Seſe ante congreſſum ſalutant,
Nomine rem fugiente, fratres.
Inſana miſcent oſcula lacrymis:
Paulloque poſt in colla tot ictibus
Petenda plorantes recumbunt;
Dulce nefas ſtimulante voto:
Et ſi qua riſu, de Furiis tribus,
Prævertit ullas exſequias Dea:
Tædiſque caſuros notavit
Sulphureis, ſtygiaque taxo.
Ite, ite Torres, ite Acherontici,
Honoris imum ſub Capitolium:
Et laureati cæde veſtra
Tartareas animate flammas.
Vos verò magna parte ſuperſtites,
Servate, Divûm munera, ſpiritum:
Servate corpus. membra nulli
Projiciant, animaſque forteis,

Niſi in ferentem ſigna ruentibus
Adverſa. Mors hæc pulcrior aurei
Fulgore Solis. donec ultro
In jugulos vocet hoſtis enſeis,
Differte cotem. jam dabitur mori.
Affulget ingens copia funerum.
Prædicit iſtam viſa nubes
Sanguineis maculoſa guttis.
Tunc eſte Achilles, tunc Agamemnones.
Et jam tubarum cornua perſonant.
Mandata Ductores ab uno
Accipiunt quatiente frena.
O ſi rediret TILLIUS, æthere
Delapſus alto! quanto acies globo
Exſultet: adventuque creſcant
Tela viris, animiſque vires!
Ipſe, ipſe campus ſentiat; ac ſonum
Late volutis fluctibus intonet
Percuſſus aër! ille, noſtri
Scipiades fuit, & Camillus,
Et Brutus ævi. ſi mihi dicere
Fas eſt, CLARISI, quæ tibi forſitan
Sentire. quidquid verſa retro
Ejus ab exſequiis peregit
Fortuna lævum, quidquid atrocius;
Famam ſepulti nobilitat Ducis.
Noſtris ruinis illa ſurgit
Altior, erigiturque ſupra
Stellas Olympi. vincimus? inclyti
Manes triumphant. vincimur? exprobrant
Fugamur? hortantur reverti.
Ex tumulo nequit ulla major
Repullulando ſurgere gloria;
Quàm, fata poſtquam ſtamina ruperint,
Deſiderari. meta laudis
Semper erit, fuit iſta ſemper.
Livoris edam crimina. vincere
Hoſtes aperto, vix fuit amplius

Ars viſa campo. palma ſpreta eſt
Crebrior, imminuitque orexin.
Nunc ſcimus eſſe, & lugubrè ſupplices
Fatemur artem. TILLIUS unice
Callens, odoratus rebelles,
Caſtra ſuis inimica vallis,
Ut cervus angueis è latebris; canis
Vulpes doloſis Marſa cubilibus;
Extraxit, & prædam trementem
Mænaliis agitavit haſtis.
Mars ipſe contra ſæpe datur truci
Stetiſſe vultu: & lividulus prope,
Egreſſia mortalem lacertum
Semidei ſtupuiſſe facta.
Sed nempe non ad prœlia Dolio
Exibat, aut è Fornice; ſobrius
Caſtâ manu direxit agmen:
Ad capulum veniente pugnâ.
Vixit. neque illum reddere ſidera
Curant: neque illi tam redeat nocens
Ac dira vivendi cupido.
O, ſtimulis animoſa ſaltem
Sanctiſque votis excitet, excitet
Laudata noſtros Umbra Themiſtocles,
Supra celebratos tropæis
Miltiadas ſpoliiſque clara.
Non obſoleſcat Gloria TILLII,
Æterna merces. TILLIUS, ô Duces,
Certetque, verſeturque veſtros
Ante oculos, renovetque priſcas
Bene ominati Martis imagines.
Sic ora torſit, ſic vaga lumina:
Sic ſtrinxit enſem. ſic comantis
Pileoli variavit oras.
Simul daturus ſigna ferociæ,
Inſeſſor albi quadrupedis ſenex
Proceſſit in campum, & ſagatam
Læta tuens, placiduſque, pubem.

Salvere juſſit. tum, veluti Deus
Æmi relictis vallibus ac jugis
Bellator intraſſet; furorque &
Laudis amor ſubiere venas.
Ceſſère mortis degeneres metus,
Clamore circùm ſilva remugiit:
Tubiſque, ſcutorumque ſlictu,
Et ſtrepitu gladiorum acuto.
VVOLFGANGE, ſudo. Sol nimio ferox
Æſtu cadenteis fregit Eteſias.
Et jam quietem ſuadet umbra.
Ergo domum revehamur. Evan!
Te, qua profundum Danubiùs meat,
Urbemque in alto præterit editam,
Exſpectat: undarum minorum
Iſara, nos, humiliſque ripæ.

ODE XIX.

MONSTRUM,

Meum ac Tuum, frigidum illud Verbum.

Ex S.Chryſoſt.in Orat.de S.Philogonio, Tom.III.

TEmpore, purpureas quo circumflexit habenas
Arcadius, olim Dominus Orbis, nunc lutum.
Ambitioſa Parens & avara Superbia, Monſtrum
Enixa, poſuit non procul Chalcedone:
Formoſa facie; niſi quod non auribus æquis
Midam referret, naribuſque ſimiam.
Turpis ab informi pendebat gutture ſtruma,
Qualem nec Eurus ipſe ſub mento gerit.
Cætera tam gelidum; quam poſſunt eſſe Decembres,
Brumæque Thracum mille Januariæ.
Qui tetigit, riguit. ſtridebat dentibus albis.
Torquebat hirquos debito exſtantes ſinu:
Obliquumque tuens vicini ſceptra tyranni,
Spumas ruebat inſtar obſcenæ ſuis.

Non-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Nonnumquam validos aſſultim erexerat artus:
Subitoque rurſum concidens elanguit.
Accurrunt Proceres. homo ſit, dubitatur, an amens
Fera? vivat, an porrecta lucem effuderit?
Vivit, ait Præſul linguam circumlitus auro.
Tactu notamus palpitare viſcera.
Hic eſt humanæ, quoties fit adultera, Mentis,
Furtumque Generũ Cereris in thalamum vocat,
Hic eſt infelix, dignuſque libidine Partus;
Inceſtus, excors, fœdus, exſecrabilis:
Non verus tamen, inquit, homo. vetuitque lavari
Purgante genitas fonte ſordes luſtrico.
Ut verò impuros veſani Cordis amores
Plutoniis arceret à complexibus:
Menſque viam ſcelerum fugeret, quibus improba ſurgit
Uteri pudenda fulminandi ſarcina:
Deteſtans Monſtrum ferale, Meumque Tuumque
Verbumque juſſit nominari Frigidum.
Ex illo hæſerunt conceptis Nomina Diris,
Prodigia noſtri ad uſque paria ſeculi.
Tale quid Ambitio de te, Friderice, marito
Peperiſſe Pragæ fertur, in Bohemia,
Frigidius glacie. quippe hæc hiemalis, & ipſi
Hiemale proles nomen impoſuit Patri.
Tale (favente Dea, dea cui Proſerpina ſacros
Stygiæ labores Obſtetricis credidit)
Tectus adhuc hodie ruptis enititur odis
Baſiliſcus, Aulis nidulans in pluribus.
Concipitur; tumidi ſpirant cum prœlia Reges:
Simul arma rapiunt & cruentant, naſcitur.

A D

AD ILLUSTRISSIMOS PACIFICATORES, MONASTERII CONGREGATOS.

ODE XX.

Holocauſti Odor ſuaviſſimus.

VIctima noſtrates, fateor, non amplius Aras
Jecinore plangit, tingit icta ſanguine.
Non popa, non vaſtis reſonat mugitibus AEdes.
Nullas ſecures Templa, vel ſicas vident.
Poſt Agnum Hebræum lana cum virgine cæſum,
Bovis exolevit atque vitulorum cruor.
Ut nihil infirmem: poſſim tamen, ac mihi fido,
Inſtruere placitam Numini ſummo molam.
Cujus odor nubes ipſas perrumpat & aſtra;
Canoque ture floribuſque gratior.
Nulla mora eſt, monſtroque viam, mea votaque pando.
Faceſſat hircus cum ſuis uxoribus.
Vos, Proceres, Monſtrum multis ex millibus unum,
(Meam Tuumque, dico, Verbum Frigidum)
Ad rude, nec paſſum Lyſippi vulnera ferrum,
Manibus meis hoc immolandum ſiſtite.
Siſtitis? auriculas & frontem innectite vitta.
Innexuiſtis? jam coronam appendite.
Tum ſale, tum limpha, cumulo tum ſpargite farris.
Sparſiſtis? addam verba non innoxia.
Interea, præcincte Puer, collecta miniſtra
Alimenta flammis. putria ligna ſuffice.
Quid mihi Cedris immortalique Cupreſſo?
Tiberianæ fruſta ſandapilæ ſeca:
Latronumque rotas, ſi quæ eſt nobilis arbor
Veſtita mœchis, aut trecentis furibus;
Congere. ſternatur ſulphur ſuper, atque bitumen
Babylone coctum, vel Gomorrhæo lacu:
Boletuſque picis. qualem quantumque Draconi
Solymæus olim Juvenis epulandum dedit.

Adjice,

Adjice, damnato quæ Machiavellus aravit
Digito ſceleſtè callidus Volumina.
Adjice, quos Faſtos ſcripſit Camerarius ater,
Et quos ſiniſtrâ Dux Anhaltinus manu.
Nunc imponamus devotum (ferte, Quirites,
Opem, Quirites) Myſtico Monſtrum rogo.
Ardet. iô feſta dicamus carmina voce.
Placantur omnes Cœlites hac victima.
Stridet. iô venæ ſaliunt ſpirantibus extis.
Addicit Æther. video caſtas Virgines.
Simplicitas, & priſca Fides, comitataque Pace
Relligio ſubeunt, & Salus cum Gratiis.
Audio ſublimis circùm memorabile Buſtum
Sonare plauſus. aſtra concentum movent.
Ut mulcet me gratus odor, Superoſque, Deumque!
Ut adipe cæſpes fragrat, & tabo ſilex!
Nubibus incenſus precioſis. fluctuat aër,
Fumique volvit turbinati vortices.
Ire per Elyſios, non ficto nomine, campos,
Nec ante viſis videor afflari roſis.
Parte alia, tota ponatur Majus in ara,
Violis, & omni copia florum rubens:
Alcinoique nemus, Pæſtique, & Hymettus & Hybla;
Aurique viridis dives hortus Africæ.
Quidquid Niliaci ſudat de vulnere trunci,
Syruſque ſummis meſſor in ſpicis legit.
Quidquid odorifero victurus funere Phœnix,
Quoties ſepulcrum mutat in cunas ſuum:
Quidquid blanditur croceis Panchaïa ſilvis:
Et quidquid uſquam naſus invenit boni:
Naſus Arabs, naſuſque Cilix, naſuſque Sabæus.
Collata noſtro fœteant incendio.

EPICEDIUM
In funere ampliſsimi Viri
JOHANN. CHRISTOPH. ABEGGII,
Ser. Elect. Bav. MAXIMILIANI
Cancellarii aulici.

ODE XXI.

AT non mœſta, tuo cum corpore, Fata canendum
Eripient & nomen, ABEGGI.
Ne totus pereas; pingant, fingantve, licebit,
Artifices in marmore vultum.
Et ſaxo, & tabulis, ipſoque perennius ære,
Carmen erit memorabile noſtrum.
Ornentur ſtatuis, fuſoque expreſſa metallo
Mendicent præconia Manes:
Qui, niſi divitiis ac vano nomina ſumtu
Oblinerent, inciſa ſepulcris;
Per pigra Lethææ nantes oblivia ripæ,
Æterna ſub nocte jacerent.
Tu pompæ nihil hujus eges. Clariſſima Virtus
Effigiem ſibi ſuſcitat ipſi.
Nec tantùm vulgi ſpectandam ponit in ore,
Suffixam laquearibus altis:
Sed magis in Menteis penetrat, vivoſque colores
Diffundit, velut Iridis arcum.
Non chalybis, non ſint flexæ ſimulamina ceræ,
Teque ferens ſublimis Imago:
Reſtarent animi; quibus hæret ABEGGIUS olim
Inſcriptus, meliore triumpho.
Nullus in hæc Urbe eſt: cujus rumore ſiniſtro
Pulſetur venerabilis Umbra.
Omnes commendant; omnes gemuere profundùm,
Sciſſa brevis velamina vitæ.
Haut ita felices: quos, quamvis concolor ætas,
Et decus, & par gloria ſignet:

Seu

Seu veſcuntur adhuc cœli communibus auris;
Sæva ferunt convicia vulgi:
Sive comam capitis Proſerpina forfice demſit;
Extinctæ damnantur in Urna.
Conſilium præſens aderat, librataque certo
Ad metam ſententia nervo.
Futilis undoſæ multos opulentia linguæ
Facundis ſucceſſibus effert.
Tu rem curabas: graviore Laconica paſſu
Verba ſono pollentius ibant.
Cumque alii liteis ſererent, cum jurgia mallent:
Tu placido clementior aſtu,
Scindebas medios fluctus, ventumque frementem,
Obliqui moderamine clavi.
Si qua Palatinam ſpumoſa Calumnia Navim
Concuteret: tunc fronte ſerena,
Quaſſandas rupes tollendaque ſaxa movebas,
Irridens furialia vota.
Germanum pectus, facies Germana loquentis:
Laude pari conſentit utrumque.
Nulla ſupercilii nubes, non Stoicus horror
Adſpectu vitiabat amaro.
At quotus in rerum ſublatus culmina, freno
Indomitum compeſcit honorem!
Tu cujuſque capax, adverſam, ſive ſecundam
Fortunam reverenter habebas.
Femineam, hac una ſancte virtute ſuperbus,
Auſus eras ſpreviſſe cubile:
Cælibe gaviſus vitæ. non obſtitit umquam
Socraticis ſermonibus uxor.
Ambabus totum Reſpublica ſtrinxerat ulmis,
Indocilem connubia ferre.
Alterius, numquam non formidanda, maritæ:
Ut placidam ſe cumque figuret.
Quas alii impendunt curis muliebribus horas,
Aſtrææ, Themidique ſacraſti.
Pax & ſancta Quies, habitavit in ædibus unà.
Rixa procul, vagitus & ira.

Quid

Quid pia commemorem caſtæ ſuſpiria Mentis,
Ad Superos cum fenore miſſa?
Virgo parens altis inoleverat hauſta medullis,
Sidereæ Regina Coronæ.
Illius Auguſtis culturum vidimus Aras
Parthenios accedere Cœtus:
Quo vultu juvenes, epulas; quo læta, reverſo
Vere, ſolent inviſere prata.
Hæc vice Pyramidis. levis eſt Heliconia tellus,
Et redolens, & florida ſemper.
Quique ſub hac Manes, Phœbo donante, quieſcunt:
Non fato pejore gravantur.

AD CAROLUM FERANZAM.

ODE XXII.

De triplici Intemperie ſecundi ſenſûs Humani Corporis.

ALLEGORIA.

Ebrietas in ſicco navigans.

QUæ famæ bibulis ſemper in auribus
Ardet dira ſitis, dipſade ſævior:
Qua ponatur in unda,
Refert, CAROLE, plurimum.
Puro fonte fluit limpida Veritas:
Non ingrata recens: jam tepeat, ſimul
Vulgi multa per ora.
Miſtum duxerit alveum.
Reſtagnat medio craſſa palus foro
Hinc rerum cupidi Mercurialium,
Plebejis vitioſam
Implent fecibus hydriam.
Hic caupo melior, qui nova nunciat.
Quivis ſermo ſapit. protinus obviis
Cujuſcumque lagenæ
Se rumoribus irrigant.

Utuntur

Utuntur lituis, perque tubas bibunt
Fuſum Teutonico pectore ſanguinem.
Tantùm prœlia, cædes
Noſtri militis audiunt.
Muſto mox nimio Vaniloquentiæ
Cretenſis calidi, jurgia deſpuunt:
Et lingua titubante
Eructant querimonias.
Vanam profuerit lambere fabulam,
Non plenis animi ſumere faucibus:
Si Judæa propinet
Bucca, aut Aſtrologus Ligur.
Qualis, Nile, tui veſtibulum canis
Deguſtat fluvii, parciùs, ac timens;
Ne viſus crocodilo
Occidatur ab hoſpite.
Eſt quædam ebrietas turpior aurium,
Per quas intrat Amor. philtra ſoni, procus
In conchylia mittens,
Infuſis tremit ignibus.
Turbatur cerebrum, jamque mero furens
Feſcennina vomit; jam Venerem canit.
Jam ſaltare videtur
Ad buxum Berecyntiam.
Talis, non latici, cujus originem,
Amnis ſive maris ducat, inhæſerit.
Vaticanane dentur
Vina, an Leſbia; negliget.
Crater nempe placet: quique dat aurea
Phryx pincerna manu. Quod roſeus puer,
Pulcri ſemina vultûs
Neſtar dixeris, hauriet.
Pejores aliis omnibus, ebrii
Vicini vitiis, non niſi turbidum
Sugunt aure liquorem,
Et vappam ex Stygio lacu.
Odi, quæ putridis Fama canalibus
Derivata ſubit limina Principum.

Potos

Potos ſtrangulat uva,
Et mendacia credulos.
His multi Proceres ſæpe tricongii
Fiunt ex pateris. Ardelio licet
Delatorque, cameli
Fœdo turbet aquam pede:
Miris uſque modis ſceptra tenentium
Creſcet prona ſitis. donec anhelitum
Stringat noxius hydrops,
Heu! numquam ſatiabilis.
Atqui reſpuerent nobile Cæcubum,
In quo barbam aliquis triverit hiſpidam:
Aut manante ſalivâ
Labrum polluerit ſcyphi.

AD MARTINUM SIBENIUM S. I.

ODE XXIII.

Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi. Iuſtitia & Pax oſculatæ ſunt.
Pſal. LXXXIV, 2.

NEmpe quid refert? vigilemne noctem, an
Dormiam lucem? per utrumque noto
Tempus occurrit ſuus ille Vati
Semper Apollo.
Fiſtula ſacri poſita Tabaci
Vix reponebam caput: & ſedenti
Major humanis mihi viſa duplex
Nympha, SIBENI.
Cedit his ſolo Jove nata: cedit
Splendida cani maris orta ſpumâ:
Quæque depromtis pharetra ſagittis
Mænala luſtrat.
Prima, Bellatrix animoſa greſſum
Intulit ſcenæ; decuitque terror.
Blanda formoſo Pietatis igni
Altera luxit.

Illa, cœleſti precioſa cinctu,
Corpus obliquum quoties movebat;
Palla ſingultu crepuit rigentis
Texta metalli.
Nodus injectam chlamydem feroci
Strinxerat gemma, nimiæque lucis.
Quippe languenteis oculos moleſto
Fulgure clauſit.
Caſſis aurato radiata cono,
Maſculum late vomuit nitorem.
Atra criſtarum juba, mixta flavis,
Impulit auras.
Nuda, nudato metuenda ferro,
Dextra criſpavit gladium. ſevera
Ponderat moreis renuente falli
Læva Bilance.
Cujus in preſſa patera deorſum,
Omnia Europæ jacuere Regna.
Mors in elata, Dolor, Ira, Peſtis,
Bella, catenæ.
Cæteram laudes ſtupeaſque formam.
Luminum gratus vigor, at ſeverus.
Frontis auguſtæ radians voluptas,
Torva videri.
Lenior Divæ ſpecies euntis
Obviam contra. nive purioreis
Fluxit ad talos ſcutulata fuſi
Staminis unda.
Candidum circa latus ex ſmaragdo
Ductili factam dedit ire Zonam.
Nigra cervicem coma, more nimbi
Denſa, tegebat.
Palluit myrto, violiſque vultus.
Gaudio nabant oculi, polito
Melle ſermones. oleum, locuta
Fuderat ore.
Hanc manum ramus viridis, Minervæ
Germen, implebat; Solymitis illam

Palma. conſurgens ab utroque ſertum
Vertice ſedit.
Ut ſub adſpectum gracilis Poëtæ
Diſpares ſeſe poſuere Nymphæ:
Cœperant primùm tacito theatrum
Carpere paſſu.
Mox ter excuſſa micuere plantâ,
Lenè ſuſpenſum revocante ſoccum:
Ut fugæ quædam ſpecies decorum
Texeret Orbem.
Ter pedem junctæ prope contuliſſent.
Rurſus obverſis abiere tergis.
Ter relegerunt iter: utque fandi
Copia facta eſt;
Pax prior: Salve Soror. ô tot annis
Quis mihi tandem Deus expetitam
Siſtit! ah quanto violata veſtis
Sanguine rorat!
Feſſa plectendis, Themis orſa, culpis,
Teutonum diras acies reliqui.
Dulcis amplexu liceat ſororis
Stringere collum.
Sicut adverſa facie ſteterunt,
Ora libatis petiere malis.
Qualè, cum nectunt Simoënte lota
Roſtra columbæ.
Arma mutantur: lepidoque voto
Quælibet dum ſe ſtudet enovare;
Mutuis certant ſpoliis jocoſam
Tollere prædam.
Læta detraxit ſibi prœliatrix
Virgo terrorem galeæ comantis.
Læta turbatos oleæ capillos
Fronde revinxit.
Quin et agreſtis genium Napææ
Moribus fictis imitata, ſaltum
Ruris expreſſit; veluti canente
Phyllis Iolâ.

Pax coruſcavit gladium, negantem
Molliter ferri. tamen illa motu
Ludicro pergit malè ventilare,
Non ſine riſu.

Corde jurares trepidante ſævam
Eſſe conari. ſed enim repugnat
Indoles. blando ſtetit ore tantùm
Ruſticus horror.

Interim floret redimitus enſis.
Libra fragranti nive liliorum
Pingitur vernans; viridique caſſis
Germinat oſtro.

Iſta ſpectabam ſimulacra mentis.
Vela cum vertens aliquis reduxit:
Hiſque ſubmotis utriuſque Divæ
Forma receſſit.

Fallor? an rurſus coëunt in iram?
Ut quid objectæ ſtrepuere parmæ!
Murmur incertum, chalybiſque duros
Audio flictus.

Noveram liteis, odiumque fratrum.
Nunc &, heu! numquam diuturna, certe
Inter æternas etiam ſorores
Gratia rara eſt.

Ad illuſtriſſ. & excellentiſſ. D.

CLAUDIUM DE MESMES,

Gall. Legatum.

De Vaticiniis Poëtarum.

ODE XXIV.

ENTHUSIASMUS.

Kalendis Martiis M DC XLV.

FAtebor autem. Spiritus Enthei
Non eſt apud me ſemper Apollinis.

Abſente

Abſente quo, nil diſto vulgi
Moribus, aut homini profano.
Nec Dithyrambis certo ſonantibus,
Divinioreis nec numeros loquor.
Sed caſſa tantum, plebis inſtar,
Præcipito, licet uſque rumpar,
Oracla: vendunt qualia Cingari.
Lucente Phœbo clara dies erit.
Pluet ſub Auſtro. Nix Decembris
Alba cadit. Moriemur omnes.
Eſt nempe, Vates, fiſtula Numinis,
Per hanc canentis. Muta jacet, niſi
Inflarit, admotamque ſacro,
Fata ciens, animarit ore.
Utcumque laſſi pondera corporis
Sidant deorſum, ac deterior premat
In membra moles: fracta quamvis
Humor edat gravis oſſa, triſti
Suffuſa limo; nec mea viribus
Compago conſtet: ſi Maciem tamen
Intravit, effœtoſque noto
Igne Deus, Deus ille noſter,
Pervaſit artus: erigor in pedes;
Totoque crinis vertice ſubſilit.
Confuſa tempeſtate flagrant
Lumina. non rubor unus errat,
Unusve pallor. ſe variant genis
Miſti colores. vox rabie tumet:
Ignarus eluctor Sibyllas.
Subque oculos cadit, inque vultu
Omne eſt futurum. Fer, puer, ocius
Inſtructa fulvis Barbita dentibus,
Cornuque eburno. queis ſolemus,
Cum celeber modulandus Heros,
Potenter uti. Quæ mihi MEMMII
Amore donet carmina Cynthius,
(Nam ſcimus impenſe faventem)
Experiar. bipatentis oras

Clarum feneſtræ pande ſub aëra.
Albis Poëtæ nubibus & nive
Amictus intexta, corymbis
Cinge caput, viridique vitta.
Eoa verſus lumina ſuccute,
Nexam capillis ſuccute Lauream.
Ter explicatas tende palmas,
Ter revoca, Citharæque primos
Infringe nervos. Jam rapido fides
Attemperatas ungue ſupervola.
Tractim remulce: pecte carptim.
Sparge ſonum. novies: honora
Novem ſorores. Percute fortiùs.
Majora preſſo pollice; dactylis
Micare conſuetis minora
Fila feri repetita multo
Decurre longùm verbere. quid vides,
Puer, quid audis? Clangor in intimo
Sacrumque reſpondens tumultum
Ventre Lyræ geminatur Echo.
Evan! tremendum Numen adeſt. iô
Numen tremendum: candide Baſſareu,
Vitalis Evan. ille acutæ
Deſeruit juga ſumma Naxi:
Bicorne Phœbus deſeruit jugum,
In meque venit. ſentio turbine
Mentem rotari. laurus ardet,
Inque comis ſaliere flammæ.
Ventura cerno præſcius. Hæc Deus,
Hæc ille noſter dicit, Achaicis
Obſcura, Romaniſque verbis,
Vera tamen; reſeranda quondam.
Arcana miris evoluens modis.
Incide verſi cuſpide pectinis,
Quæ dicto, confeſtim tabellæ,
Perpetuæ monumenta Famæ.
Jam nunc Atreidis arx Henutemia
Conceſſit ultro. dum Capys & Gyas,

Mneſtheuſque, Sergeſtuſque lenti
Indubitant; capiuntur urbes.
Quid cincta propugnacula turribus,
Valloque proſunt? ſaxa minantia
Ad uſque cœlum, non reſiſtunt
Perfidiæ, ſcelerum parenti.
Origo noſtræ cladis, & omnium,
Crumbiſa, cauſſa eſt. Troile, Troile,
Xanthum relinquis: ſed caveto
Cornigerum (ferit ille) Rhenum.
Quem non putabis, Rhenus Achillea
Opponet ultorem. It Sthenelus niger,
Lycaſque ſternax, & ſonanti
Hippomedon quatit arva paſſu.
Eheu! Adraſti Regia mugiit
Momento in iſto. lugubre purpuram
Mutavit atratumque funus.
Vanuit ex oculis Creuſa.
Inſurge Tydeu. nunc animis opus,
Nunc Marte & armis. ſtringe virilibus
Ferrum lacertis: & vocantem
Toto operi Alcidamanta Belgâ.
Tecum per hoſteis vadat Equicolus,
Calvuſque Tarchon; atque Italus Dymas,
Ulturus Ajacemque cæſum, &
Imbraſiden, Bitiamque captos.
Ut cuncta rerum ſubdita mobili
Rotæ, futuris lubrica ſeculis
Fortuna verſat! non tremiſcet
Parva ſalix, humilisve ficus:
Si celſa ventis concutitur Cedrus.
Poſtes avorum laurigeri crepant:
Suis & inclinata fatis
Aſſaraci Domus alta nutat.
Sed ſive flabris Mars Borealibus,
Sive acris inſtet viribus Africi;
Non eruetur. ſtemma firmum
Illaqueat generoſa radix.

Hæc ille dicit, cujus amabilis
Nec vultus umbram, nec coma forficem
Intacta ſenſit. Non Ulyſſes,
Non Athamas Simoënta clauſum
Perfringet haſta. Laomedontio
Inneva ſtabis fortior Ilio.
Interque conclamata fluctus
Aſſaraci Domus alta ſtabis.
Hæc numen addit. Quàm placido mari
Secura Navis ſe bicolor ferat:
Si non, peregriniſque gemmis,
Puppem onerent, hebenoque, Mauri.
Grandæve Rhamnes, mitte caniculam
Cæcaſque ſortes. mitte volubiles,
Caice, talos. ſuadet Aſtur
Nunc alium vigilare ludum,
Cogente Pyrrho; quem Thetis edidit
Clauſtro Cadanæ Balthis in Inſulæ.
At non & Ingrenata nullos
Paſcit equos ſimileis Epei
Cuniculoſis fœtibus. ô Phryges.
In veſtra certe damna fideliùs,
Quam poſſet optari, ſagaces.
Sic Hecubas renovabit Ira.
Speratur ergo Pax Tonamerſii!
Ni griphus obſtet. nempe Acheloidum
Et literarum Graja princeps,
Quæ mediam fluit inter urbem,
Ramos Minervæ ſubvehet exſulis!
Quis fidat amni? mobilius nihil
Manante limpha. fraus doloſæ
Cymodoces tamen & propinquum
Tritona fallit. Currite flumina
Comitiales ad Choreas. foro
Stagnate toto. ſola piſtrix
Non veniat, dubiusve Proteus.
Vadunt ſoluto gurgite tum Tires,
Tum Liſba velox, Guſtaque tardior.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Sed more Mæandri Quenaſa
Reſpiciens ſua torquet ora.
Proh! prima quantis gaudia luctibus
Emit Choræbus, qua bifida vadum
Se ſcindit undâ. rurſus, eheu!
Invidiæ nova fumat olla;
Cœlumque ſpiſſis omne vaporibus
Terraſque condit. Biſtonius ſilex
Splendere rurſus cogit enſeis,
Sarcula diripiuntur agris;
Latuſque cingit, quod fuerat ligo.
Ut tædet omneis vivere! prœlia
Sunt facta votum. Fama ſpicas
Priſca refert coiiſſe bello:
Jam blanda Floræ, jam quoque candida
Vibrante culmo Germina militant:
Odorque dimanans ab illis
Teutonici gravat arva campi.
Late patentis, ducor in ambitum
Flexuſque ſilvæ. nam varias tegit
Immenſus ambages viarum
Multiplicis Labyrinthus Horti.
Ut ſe refuſis aſſidue, viden?
Thermis feroces Monticolæ lavant!
En, inter incantata Baccho
Pocula, diluviemque vini,
Miſcent ſenatum! ſcilicet imminens
Tandem paventes excutient jugum!
Perire Libertas ab auro
Pulcra ſolet, dominante Plebis
Reperta ferro. Quis tibi ſuaſerat,
Silvane, vireis vendere corporis?
Vah, cauta Girrombena ſemper
Vela parans in utrumque ventum.
Vah Mula, vah quæ Danubium bibis
Ex fonte vectigalibus inclyto.
Vah, plena Nuſſtromurca cannis,
Plena oleo, Ciliciumque meſſe.

Audite Matres Andromachæ pares:
Ilpiſa vaſtis horrida ſtragibus;
Tuque ô caduco nixa faſtu
Ambiguæ Poſanitra mentis.
Hæc fatur ex me Leucadiæ Sonans.
Antiqua ſummi nomina culminis,
Faſceſque Brutorum peroſa,
Subjicitur Senonum ſecuri.
Nolens ligari ſtamine ſerico,
Uncum lupati mordet aheni.
Vitare quæ Scyllam volebat,
Incidit in mediam Charybdin.
O auſpicatas erigat Heſperus
Criſpetque Tædas. quò genius vocat,
I numen, ac dotale fauſto
Omine conciliare fedus,
Virgo comantum gloria montium.
Te, quà jugales proluit æquore,
Titan adoret. te Diana,
Te patriæ celebrent Napææ.
Cui Franca nubis! pacis amoribus
Nectuntur Aulæ. Tu quoque Lydiæ
Tauguſa textrix par Arachnæ,
Fila trahes nivis inſtar alba:
Si non bifrontem conſpiciat bifrons
Hoc Janus anno. non bene ſcinditur
In fruſta pannus. texe, qualem
Caſta ſoror Nomimucha telam.
Sit parte ab omnī carbaſus integra.
Candore Brumam vincat, idonea
Ornare Divûm, quas ſacerdos
Conſtituit Tiberinus, Aras.
At ille nigra quis Juvenis comâ
Humum ſupinus pulſat, & ingemit!
O luctus! ô mors atra! fato
Ah, Juvenis meliore dignus.
Nondum madentis ſævitiæ datur
Expleſſe rictum Teutonicus cruor.

Gaude

Gaude triumphatura, gaude,
Perſephone. tibi nigra multos
Intinget igneis vacca, piaculum.
Linoque, ſtupaque, atque bitumine
Cymbam fatiſcentem Charontis
Obſtrue Tiſiphone marina.
Jam mox ſilentum plebs numeroſior
Ripam obſidebit. plumbea Manibus
Circumvolaturis tegentur,
Funereo vada pigra ſomno.
Hinc campus atque hinc parturit agmina
Sternenda leto. quot volucres ruunt
Plauſas catervatim per auras
Strymoniæ! videone rubri
Torrentis undas currere per ſolum
Spumante craſſas ſanguine Noricum!
Hoc eſt, quod olim jam ſepulti,
Ante tubam, cecinere Vates.
Cadunt Orontes, Ilioneus, Abas.
Coſtas Orontes, Ilioneus femur,
Trans tempus & trans colla glande
Fixus Abas. Chorineus haſtâ:
Dum fortè telum librat in Anxurum.
Quem mactat Hæmon. hunc Hypanis manu,
Illum globo Tiſandrus, iſtum
Vulnifico Menalippus enſe.
Nitrata turmas fulmina perfurunt,
Viamque ruptis corporibus ſecant.
Mutatur & belli (cupido
Tanta necis!) recidiva ſedes.
Æquant arenas denſa cadavera.
Quis victor olim debita fraxino
Tropæa ſuſpendet Gradivi,
Et domito potietur orbe?
Secreta ceſſas pandere cætera,
Apollo, ceſſas? ocior alite
Fugit ſagittâ, fugit Euro.
Jamque iterum tenet ille Delon.

Ego relinquor languidus, & macer
Ut me ſubegit! Duc ſtabulo, Puer,
Et cinge fulgenti capiſtro
Alipedem; niveoque frontem
Signo notatum ſcande, age, Pegaſum.
Per ſciſſa plantis nubila, neminem
Moratus in via ſalutes.
Aſtrigero neque ſi coruſcam
Pavone bigam ſiſteret obvia
Iuno, mariti torva ſui ſoror,
Præfixa metam, ſaxa tanges,
Quà validas Mimigroda tollit
Ad aſtra turres. Urbis in intima
Delapſus, Aulam ſacraque MEMMII
Scitatus, intrandos Penates
Magnifico venerare cultu:
Et nactus horam, qua ſociabileis
Curas tepenti dividit otio;
(Cum Solis extenduntur umbræ)
Tecta ſubi nive plena florum:
Datæque ſupplex inſere dexteræ
Commiſſa fido carmina pectori.
Vultuque demiſſo renidens,
Deque genu manibus decenter
Ad os reductis, leniùs increpa
Salutis omen. ſed nimia neque,
Nec vi coactâ perde ritum.
Heic habileis imitare Gallos,
Perfunctus addes: Vaticinans ſuo
Hoc qualecumque eſt, Alſata MEMMIO,
Cliens Patrono, ſervus offert
Palladium Domino tributum.

IGNES FESTIVI,

Illuſtriſſimis Pacificatoribus, Monaſterii congregatis, ab Auctore excitati.

ODE XXV.

UTi repertis ſi liceat mihi
Bonis, Quirites: non ego gloriam
Veſtroſque commendem labores
Ingenii pereunte ſumtu;
Faſtigiatum pulveris exſtrui
Suaſurus arcum: quem pyrius draco,
Turgensve Centaurus ſagittis
Per medias jaculetur auras,
Hiante rictu. Non fluvii vado
Circumſonanteis injiciam globos,
Pars clauſa quorum ſcindat undas:
Pars gravidum medicata ventrem,
Cùm ludibunda ſtrage reſolverit,
Sublimè luctans rumpat in aëra:
Rurſuſque fundo merſa, rurſus
Cum ſtrepitu renuente mergi,
Amnis ſeveri ſumma ſuper volet;
Fetuſque nitri parturiat novos:
Hi matris inſanæ furorem
Continuent, pariantque plureis.
Stat ergo vulgus lætitiam metu
Æquante plenum: & ſe ſaliaribus
Monſtri favillis, & caduço
Attonitum male paſcit igni.
Vah! ſumtuoſæ pompa ſuperbiæ,
Formoſioreis nonne volubilis,
Nec ſæva ſparſuras in orbem
Fruſta faces, mihi nocte ſudâ
Accendit Æther? has, quoties libet,
Adſpecto gratis. ſic celerant fugam,

Ut me morentur. ſic reſiſtunt,
Ut rapido tamen axe currant.
In arte non eſt Lemniaca decus,
Quod vos, Quirites, quæritis ignium.
Quamquam Pyracmon membra nudus,
Et Steropes juvat atque Brontes.
Utcunque tortæ ſubſiliant pilæ:
Plauſus inaneis, brutaque fulgura.
Videtis. in vanum vaporem
Ac cineres ea ſcena tranſit.
Mandare quod ſi veſtra nepotibus
Hæſura vultis nomina Poſteris:
Magnaſque menteis verus urit
Laudis amor, ſtudiumque famæ:
Huc ferte tædas; & Mimigardiæ
Patentis extra, qua ſpatium jacet,
Muros, inæqualeſque campos,
Dardanium renovate buſtum.
Neronianis non opus urbibus
Jam nunc cremandis. non opus abjete
Orniſque, fagiſque, & ſenectâ
Immeritam ſpoliare ſilvam.
Stet tuta Fauni, ſtet Dryadum ſuo
Loco voluptas. cur avium caſas
Scrutemur, imbelleſque nidos,
Antraque quadrupedum ferarum?
Huc ferte flammas. materies rogo
Non deerit ingens. In cumulum ſtruis
Congeſta ſurgant arma: peltæ,
Tela, rotæ, galeæque, & enſes,
Criſtæque, & alti tegmina verticis,
Et peila, & haſtæ, & frena, & ephippia,
Et grande calcar, (quale dorſo
Ferre decem nequeant Gigantes)
Et militaris ſcuta licentiæ;
Tubæque longa, flexaque cornua,
Parmæque, loricæque, & umbonum
Impavidum genus, ocreæque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Argenti & auri ſordibus oblitæ, (&
Quidam ocreati cum meritricibus
Thorace veſtitis virili)
Balteaque, appoſitæque bullæ, &
Vexilla turmarum. his ſuperaddite
Bigas ovanteis, cumque curulibus
Plauſtris triumphales quadrigas.
Cuncta, mora eſt, memorare. verbo:
Bellum omne flagret. Sol Hyperionis
Prognate claro ſanguine, Teutonum
Squalore deformata longo
Regna videns, refugumque nuper
Torſiſſe vultum credite, ſupplicis,
Sol, ſiſte Vatis mollior ad preces.
Da, da reſolvendum Gradivi
Triſtibus ex ſpoliis acervum
Ardere late. concute verticem,
Flaviſque crimen ex omnibus unicum
Largire, detonſumque vibra.
Inque pyram, Phaëthontis actos
Conſume currus. ardeat, ardeat
Infame, deteſtabile, barbarum,
Lugubre, funeſtumque Bellum.
Ut citiùs properante flammâ
Noxæ pientur: cum tonitralibus
Alata nimbis fulmina decidant.
Sequantur hæc, quæcumque longam
Aſtra trahunt maculoſa caudam,
Terraſque purgent. irruat, irruat
Delapſus ignis, terrificus, ſacer,
Triſulcus in Martis cubile, &
Letiferas populetur arces.
Nulli machæræ, non propriis Getæ
Parcatur armis. tota caloribus
Solvatur in fumum ſupellex.
Ipſaque cum gladio liqueſcat
Vagina, & omnis tacta fluat chalybs.
Paci, Quirites, ſi placet, hanc Pyram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Vincti Sacramento dicemus.
Sit ſcelus, eripuiſſe quidquam.
Audite Cives, Curia, Milites.
Quicumque ab iſto ſuſtulerit rogo,
Seu pugionem, ſive ſicam,
Sive ſcobem cineremve ferri:
Devotus umbris deterioribus,
Pœnas Achanis ſuſtineat pares;
Extraque portas obruatur,
A pueris populoque, ſaxis.

SOTERIA
AUCTORIS EX MORBO CONSURGENTIS,
ANNO M DC XLV.

ODE XXVI.

Carmen extemporale.

Quid tandem fiet? quoties Teſtudo reſumta eſt;
Tempeſtas caput egit aquoſa:
Perque cavas fauces ſe præcipitavit, & alto
Obſtruxit præcordia limo.
Unde putrem lanam, & ſqualentia vellera tabe,
Ejectat circumſona tuſſis.
Vix retinere animam queo: ſed neque morbus avitâ
Sede poteſt expellere totam.
Seu Furiæ, & vindex Nemeſis, tribus addita Parcis,
Cum Muſis odere Poëtam:
Seu ſociûm mala vota valent, indigna relatu,
Ac plus quam funeſta voventum:
Ex quo veridicus populares ivit in auras
Oſſa canens Agathyrſus & Umbras:
Corporis afflicta eſt triſti ſymphonia fato.
Temperiem ſtravere dolores.
Sentio converſis, tremulæ vitalia cymbæ,
Ad Lethen decurrere velis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Scilicet ulturi pulſata abdomina Pingues,
Anticipant mihi funus acerbum.
Quid tamen efficiunt? ſemper poſt prœlia vivo
Victor ovans, & rideo Craſſos.
Eluſiſque feror ſupra venabula Diris,
Non ſecus ac Maſſyla leæna.
Stat Macies immota loco; ſanieque fluenteis
Suſtentat truculentior artus.
Ipſa, precor, veniat Mors juſtum initura duellum:
Exoneret coryton & arcum.
Non conto jaculiſque adverſi, aut duplice funda,
Non aliis dignabimur armis.
Stabo Lyram retinens, ſcuti vice: quale nec Ajax
Taurinus prætenderat olim.
Quo ſe cumque feret monſtrum exitiabile: jamque
Hoc aditu, jam certiùs illo:
Nos tantùm Cithara circum cava tempora ductâ
Fruſtrari conabimur ictus.
Ut ventri caveam, non eſt opus. hunc ego ſancte
Præſagus procul ante removi.
At licet inviſæ ſuccumbam denique Morti:
Haut referet ſpolia ampla jacentis.
Sic quoque dicetur, probrum latura, fuiſſe
Cum Larva luctata feroci.

ECHO,
in nemoroſo Viridario, HESELO *dicto*,
prope Monachium.
Feriis Auguſtalibus MDCXLIV.

ODE XXVII.

QUà via Talkirkam verſus, prope flumina, lævo
Tramite ſecta patet:
Poſt modicos colleis, incurvatoſque receſſus,
Fagineumque nemus;

Cognita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Cognita Bojugenis viſas Heſeloïa Tempe;
Nomine digna ſuo;
Certant Theſſalicis. tanta eſt fiducia Floræ
Luxuriantis ibi
Perſpicui gelido vivunt in gramine fontes.
Sudat ubique ſolum.
Iſara dat ſcatebras. nuſquam formoſior udum
Promovet unda pedem.
Si qua fides Faunis; iſto, cum comitur, amnî
Se Galatea lavat.
Herbis lætus ager pecori ſuccedere ſuadet.
Temperat unda diem.
Surgenteis ſilvas, & ab his ſilvas depreſſas
Pervius humor alit.
Frondea ſubnexi miſcent connubia rami.
Quercus & alnus amant.
Molle ſupercilium clivus protendit, & auras
Liber utrimque capit.
Sæpe ſcaphæ ſiſtunt; nautæque cupidine tacti
Applicuere rates.
Illuc Pegaſeâ rapuit me Spiritûs alâ,
Tam citus ac violens,
Quàm Boreas Sponſam. ſolo me crine retentum
Verticis eſſè reor.
Depoſito, Pacem ſemper, mihi lenis in aurem
Dixit Apollo, petis.
Heic pete. fatidico reſonant oracula luco.
Numen ineſſè dedi.
Heic habitat noſtris tranſlata favoribus Echo.
Experiare; licet.
Dicta probaturus luſtro nemus; atque loquenti
Ultima verba Deæ
Blandior. O thalamo non ſpreta impune ſuperbo,
Huc age, Nympha, veni.
Sic qui ſe Stygia dudum ſpeculatur in unda
Captus amore ſui,
Formoſi rediens Juvenis Cephiſius oris,
In tua vota ruat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Sic tibi ſuſpendam, quod geſto nobile ſertum,
Virgo pudica. *dica.*
Senſi concuſſis timidi ſuſpiria ramis
Qualiacumque ſoni.
Progredior tentans. tunc Echo, an nata propinquo
Gurgite Nais? *ais.*
Tene palatinam fas appellare? *Latinam.*
Ergo fave, inquit, *ave.*
Protinus abſolvo præludia; meque reclino
Commodiore ſitu.
Et quia tunc plerumque meo memorabile Galli
Nomen in ore fuit;
CLAUDI, dicebam: rediit vox mollior, *audi*,
Audio. perge loqui.
Hujus quæ belli diſcrimina? *Crimina.* Mundo
Qualia nota! *nota.*
Quæ modò VVeſtphaliæ prima ſancitur in urbe,
Pax ea grata? *rata.*
Proſpera, percontor: *ſpera*, ſubjecit. honeſta?
Auſtria quærit: *erit.*
Talis et Auſoniæ vulganda per omnia Romæ
Compita? dixit, *ita.*
Non igitur poſthac Alemannos perfidus agros
Mars populabit. *abit.*
Ad nos alma Salus potius fecundaque cornu
Copia vadit. *adit.*
Semina tuta putas, quæ credidit Hungarus arvis,
A Machomete? *mete.*
Fracta jocus fuerint lepidis tunc regibus arma,
Horrida pila. *pila.*
Triſte jugum ponet, quod debuit hactenus æger
Ferre colonus. *onus.*
Ede: ſerens campos florebit & Alſata? tantùm
Rettulit illa, *ſata.*
Unáque ingemuit fugiens. vox ultima, murmur
Ludificantis erat.
Falſa (quid indubitas?) cecinit tibi mobilis Auræ
Filia. proh Superi!

Denti-

Dentibus eliſo meritrix levis Aëre nata,
Non niſi verba dedit!
Ut pacem ſperes! en ſibilat, atque cachinno
Te ſcelerata ferit.
Frigida ſilveſtris cautus fragmenta Sibyllæ
Inſidioſa time.
Ad nova ſe ſuccincta paret Germania bella.
Bella minantur equi:
Bella ſonant litui. quæ nunc mora nectitur armis,
Deteriora coquit.
Fruſtra conſiliis agitur, ſi judice ferro
Lis reſecanda manet.
Volvitur ad capulum diſcordis cauſſa ſenatûs,
Exagitata diu.
Me miſerum! eripitur ſubitò cum lumine cœlum.
Nox metuenda ſubit.
Heu! quianam tanta caligine ſordidus Æther
Perdidit imbre diem!
Adſpicio, genus omne, feras per inane rotari.
Monſtra cruenta volant.
Hæc nubes Aquilæ ſimilis tonat: illa Leoni.
Floribus inde pluit.
Deſuper in mediis concurrunt agmina nimbis,
Terrificante tubâ.
Stant obnixæ acies, galeataque nubila rumpunt
Enſibus & jaculis.
Ignea fumanteis ſulcant haſtilia turmos,
Vulneribuſque rubent.
Flammeus, ecce, globus celeri vertigine fiſſus
In tria fruſta, crepat.
Dat ſonitum, qualem Siculo, ſuper arva, camino
Ejaculante, vapor.
Phœbe pater: quæ me fecere piacula ſontem!
Diriguere comæ.
Serpit in oſſa tremor. concuſſo corpore ſudant
Omnia membra ſalem.
At tu forma loci, Tempe nòn digna vocari
Ampliùs Æmathia;

Sed

Sed Gelboa dehinc ſtatio, devotaque Diris,
Et ſacra Vallis eris.
Non pluvia tingaris aqua: non rore madeſcas,
Cum lacrymatur Eos.
A te dimoveant placidos Sol, Lunaque, vultus.
Squaleat uſtus ager.
Areſcant Venæ: ſilviſque negantibus umbras
Decidat omnis honor.
Perque nemus turpes errent inveſte lacertæ.
Jugera talpa colat.
Quod pede calco, precor, metetur in obſita dumis
Teſqua novale. *Vale.*

AD BARTHOLDUM NIHUSIUM, V. C.

ODE XXVIII.

METAMORPHOSIS.

IN nova non temere mutatas crede Pelaſgûm,
BARTHOLDE, formas corpora,
Qualiacumque legis.
Nimirum cauſſæ ſubſunt: cur ille juvencus,
Hæc vacca fiat. corripit
Proxima forma novam.
Obriguit Battus: ſed duri ruſticus oris.
Lupum Lycaon exprimit:
Sævior ante lupo.
Inſtar montis Atlas, fit mons. fit aranea, textrix,
Cunis in ipſis vagiens,
Flos Hyacinthus erat.
Salmacis in limphas converſa eſt, mollior illis.
Repentè Daphne germinat.
Virgo viret foliis.
Vix tamen & rami manibus diſtare videntur.
Pedem, comas, ut femina,
Quælibet arbor habet.
Quid mihi contigerit, narro lacrymabilè ridens.
In profluente perdidi
Nobile munus aquâ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Stabam contigui Nymphæo nuper in horti,
Ubi trium fons anguium
Lapſus ab ore coit.
Inque tua aptabam numeros præconia, MEMMI.
Et jam ſonora cœperam
Fila ferire manu.
Cum Lyra, neſcio quo caſu, defluxit in undas.
Sic Tres, Duæque & Quattuor,
Sic voluere Novem.
Calliopeque, Eratoque, Thaliaque, Melpomeneque,
Clioque & Euterpe, & Poly-
hymnia & Uranie.
Solam Terpſichoren, quod ſit Citharistria, vidi
Flentem ſororum devio
Abſiluiſſe choro,
Nequidquam exclamans, porrectaque brachia tendens,
Conabar exceptam vado
Tollere. lapſa natat.
Terpſichore inſiliens, Citharamque amplexa, ſerene
Afflavit oris baſio.
Vive bicornis, ait.
Prodigii ſpecies! animatur ſutile lignum.
In membra nervi tranſeunt.
Ex Cithara fit Olor.
Quam cita, tam facilis fuit hæc mutatio. venter
Plumeſcit, & Caryſtia
Saxa colore refert;
Decreſcente nihil ſpatio. quin profuit amplum,
Sic arcuata pandere
Vellera viſus olor.
Manſit & in viva longum Teſtudine collum.
Tantùm moveri molliter
Docta Puella dedit.
Buxus, ubi chordas clavi tenuere, recurva
Roſtri figuram concipit
Debilioris avis.
Nam nec acumen habet, ſicut neque buxus habebat:
Tantoque vires corpori
Non gerit ore pares.
Plura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Plura Lyræ ſimilis, nec totâ à ſtirpe negandus,
Exſultat inter fuſiles
Lubricus amnis aquas.
Hinc, quia, cum caderet Lyra, jam percuſſa canebat;
Servavit Odæ ſpiritum,
Aonioſque modos.
Vive memor noſtri, vitreis modulatur in undis,
Facunde Neſtor, Neſtoris
Secula longa vide.
Stamina tot Lacheſis, MEMMI, tibi pollice ducat,
Plumas quot albenteis gero,
Candidiora meis.
Hæc fatus, ſeſe muſcoſo condidit antro.
Confuſa bullis ultima
Vox quoque carmen erat.

ODE XXIX.

Auctor ad Hiſtoriam tantiſper intermiſſam redit.

INterim ſoles, rapidoque Lunæ
Eſſedo fallunt celeres Poëtam.
Muſa, ſcribendis mihi fixa bellis
Tempora, carpit.
Quò minùs cœptos peragam triumphos,
Obſtat aſſultans; lepidiſque captum
Semper inventis animum laceſſit,
Aſpera ſiſti.
Quid, quod inculcet Venuſina Famam?
Quid, quod illudat malesuada donis?
Quid, quod abſenteis vetita ſodales
Fraude ſubornet?
Cantet, hortantur; reſidemque damnant.
Obſequor tandem, ſed inobſequentis
More: quo Scazon piger, ire, juſſus
Dejicit aureis.

Sic catenatos duplico labores.
Dumque diverſas negat explicari
Pectus in curas; fugit, & fuga pu-
nitur eadem.
Juro diviſum Cere-per Jovis-brum, &
Integrum caſtæ Cerebrum Minervæ:
Quo Sacramento nihil ipſe majus
Novit Apollo.
SIT RATUM. Donec Bavarum Leonem
Vexerim, victo fugiente, Pragam:
Debitor nullis fuero Camenis.
Tangimus Aras.
Redde vulgarem calamum, Thalia:
Redde ſurreptam digitis SIBENI,
Per Bohemorum metuenda, PENNAM,
Caſtra volantem.

CYGNUS LAURETANUS.

ODE XXX.

UT dehiſcat ima Tellus!
Summa nolit ferre Vatem!
Qui furente raptus œſtro,
Rurſus excitavit Odas:
Nec tamen, vibrante chordas
Mentionem Nazarenæ plauſit ullam Virginis.
Cui Poëſin, liberali
Quanta floret cumque vultu;
Et micantis tela venæ
Debeo: vel corde ſi quod
Subſilit vitale fulgur:
Marcido tranſmiſſa ſomno triſtis eſt ſilentii.
Quo ſceleſtus inficetum
Expiabo fonte crimen?
Naufragans in Hippocrene,
Quo doloris vela vertam?

Pœni-

Pœnitudo ſera torquet,
Fila poſt Horatiana, me vidente, perdita.
Reſtat unus ille mollis,
Vanus ille Dithyrambus.
Quale carmen ſolus Hymen
Pangit, & turgente crineis
Liber impeditus uvâ.
Perſonant clamore montes, antra, ſilvæ, flumina.
Frontis expers, nuptiali
Virginem cantabo verſu!
Diſſonant profana ſacris.
Flecte, præ pudore, flecte
Corneam, Poëta, venam:
Inque rupes, inque ſaxa verte te Marpeſia.
Salva res eſt. ſiſto greſſum.
Repperi formoſa noſtræ
Vela, palliumque culpæ.
Arti corrigendus, error,
Fas ſit uti Dithyrambo:
Meque tantò major ejus juverit licentia.
Hoc Olorem poſſe Metro
Elici de feriantis
Spero Tethios cubili.
Pulcra ſi cupido famæ
Tangit & Lyras nataneteis;
Blandiar, mulcenſque baccas ingeram Parnaſſias.
Noſtra paullo Buxus ante,
Facta jam canorus Ales:
Qualis in ripa Cayſtri,
Qualis in ſtagno Paduſæ:
Cœrulum relinque tectum;
Adque vatem, Cygne noſter, Cygne dulcis, enata.
Quando nunc amœna Flacci,
Te cadente ſubter undas,
Plectra ſunt erepta nobis:
Subveni biformis Oſcen.
Anxium jucunda Vatem.
Urit hujus, & flagellat, Carminis neceſſitas.

Cygne dulcis, Cygne, prodi.
Per ſorores te columbas,
Se Padi per hoſpitalis
Oro, Mæandrique fratres.
Te per omneis flexuoſi
Plumeos precor Sodales, inquilinos Mincii.
Cygne, Najadum voluptas:
Penniger Phonaſce ponti:
Suavis Amphion volucrum:
Piſcium marinus Orpheus:
Nobilis Choraula Phorci:
Tende nervos, & ſonorum funde flumen gutture.
Helluo, Gruis profundum
Auſus eſt optare collum.
Digniore quiſque voto,
Ut diu fruantur aures
Eruditâ ſuavitate;
Longa Cygni colla malit, Muſicæ Philoxenus.
Nulla ſic vocalis Ales
Fata præſcit; & peritos
Luminum tranſmittit orbeis
Alterum ſagax in Orbem.
Quando mors minatur ictum,
In ſuo tam læta leſſum nulla cantat funere.
Cygne, prodi. quid moraris
Otioſus ſub receſſu?
Spirat Auſter. vela Muſis,
Laureate Tiphy, laxa.
Barbitum navale Phœbi,
Mille voces puppe vectans, mille prorâ egurgita.
Heic ſinu late reducto.
Pegaſi clauduntur undæ.
Viva, tange, cymba, portum:
Tinniens Carina vatis,
Cygne laureate, canta.
Qui ſuperna fulget inter aſtra, frater audiet.
Audietque Nympha, campo
In Piceno nota Nympha.

Ille,

Ille, qui te candor ornat,
Comparatus innocenti
Candidiſſimæque formæ,
Atra nox eſt, atque carbo, Sole toſtus Æthiops.
Cygne, tandem, Cygne, prodi.
Prodit, ecce. jam videtur.
Remigans ut explicatas
Circinat decenter alas!
Ut ſuperbo colla geſtu
Tendit, éque fonte carmen profluens expectorat!
Innocens in amne Siren:
Mitte quem Natura cantum
Dictat, auſcultaque noſtrum,
Ut reciprocare poſſis.
Sancta, dic, MARIA! *Sancta,*
Cujus eſt Divina Proles. Sancta Virgo Virginum.
Mater illibata CHRISTI.
Gratiæ fecunda Mater:
Pura mente, caſta ſenſu,
Mater integri pudoris.
Mater excitans amores.
Conditoris & Salutis MATER ADMIRABILIS.
Virgo ter verenda, ſalve.
Virgo ſalve prædicanda.
Nulla vox humana vires
Virginis potentis æquet.
Vincis omneis, Virgo clemens,
Et fidelis Virgo, laudes. Virgo prudentiſſima.
Diceris Cryſtallus illa,
Iuris in qua forma ſplendet.
Diceris ſcientis illa
Cuncta Sedes eſſe VERBI,
Diceris, mœrore pulſo,
Cauſſa publici triumphi, Cauſſa noſtri Gaudii.
Vas Honoris, Vas Decoris;
Virgo, Vas inſigne gemmis.
Cum fragrantis flore nardi,
Cumque odore cinnamomi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Spiritus pio calenteis
Ture volvis: & Roſarum germen halas myſticum.
Tu Davidis alta Turris
Arduis eburna pinnis;
Fortium de qua virorum
Omnis armatura pendet.
Tu Domus ſubnixa ſeptem
Purpuratis es columnis: Aula Regis aurea.
Quiſquis evitare bellum,
Cum Deo ſancire pacem
Optat, exſolvique noxâ:
Federis contingat Arcam.
Clauſa quondam, nunc aperta;
Arcta, per te lata nunc eſt facta, Cœli Ianua.
Nocte qualis evolutâ,
Cum minoreis cogit igneis.
Stella matutina fulget;
Talis, ô, Decora, luces:
Nubilaſque mortis umbras,
Mentiumque luctuoſam diſcutis caliginem.
Tu Salus, fugare morbos,
Tu Reis patens Aſylum,
Supplices celare noſti.
Cum dolores & pericla
Ingruunt; terra marique
Vnicum, certumque feſſis rebus es Solatium
Sive pontum claſſe Turca
Sternat, & tumultuoſis
Plena pulſet ſtagna remis:
Sive cœlo natus hoſtis
Vim minetur; ſemper æqui
Sentit in te dulce nomen Chriſtianus Auxili.
Ergo jure totus Æther
Servit uni. teque coram
Cuncta, quæ rotantur, aſtra
Poplites cum Sole lunant.
Angeli, vos ſceptra primi;
Deinde Nepti vos Parentes tot Patrum ſubmittitis.

Hinc

Hinc ſacri, REGINA, *Vates;*
Hinc Tubæ, REGINA, *clamant.*
Martyrum te palma veſtit.
Virginum Corona cingit.
Omnium REGINA *Divûm,*
Omnium, BEATA, *feſto diceris præconio.*
Attigiſti, Cygne, metam.
Conde roſtrum. ſolve chordas,
Albicans Teſtudo plumis.
Carminis peractus ordo eſt.
I, licet renavigare.
Cæterorum, quæ canemus, nolo, ſias arbiter.
Paret ecce. pandit arcum,
Et reſectas tranſit undas.
Ille præpes ante motis
Ter quaterque plauſit alis.
Ter ſonans, MARIA; clarum
Vellus, & ſpumante plumas tinxit udas vortice.
Liliis ſtellata Virgo:
Sume, quæ ſub involucro
Muſa Cygni noſtra luſit.
Haſce namque, quas dicamus,
Penna Cygni ſcripſit Odas.
Hinc tuam votiva rite propter Aram figitur,
Anſeris jam penna reſtat,
Martis inſumenda caſtris.
Ales iſte bellicoſus
Auſones ſervavit olim:
Et frementis arma Brenni,
Et truces clangore Gallos arce ſummâ prodidit.
Diva, noſtris blanda cœptis
Simplices adverte nutus.
Perque lubricas eunti,
Bella deteſtata, calles;
Et per hoſtem, perque fœdis
Arva ſtragibus repleta forte robur. ſuffice.
Duc manu manum ſequentem.
Hac in urbes, in cruentas

Itur à Scriptore cædes.
Dum tenorem Mens eumdem
Servet inconcuſſa ſemper;
Duc per alba, duc per atra: læva, ſive triſtia.

FINIS.

FACUL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS SOC. JESU per ſuperiorem Germaniam.

EGO NICASIUS VVIDNMAN, *Societ.* JESU *per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, factâ mihi poteſtate ab admodum* R. P. N. MUTIO VITELLESCO, *Præpoſito Generali, Silvas Lyricas, compoſitas à* JACOBO BALDE, *ejuſdem Societatis Sacerdote, & à Patribus ad id deputatis cenſas probatasque, typis vulgari permitto à* JODOCO KALCOVIO, *Cive & Bibliopolâ Colonienſi; eique jus Cæſarei privilegii uſurpandi hactenus indulgeo, ut eo, Auctoréve invito, Silvas eaſdem, alterâ hâc editione emendatiores, nemo recudere, nemo intra* S. R. I. *fines, & hereditarias S. Cæſ. Majeſtatis provincias importare, aut venum exponere audeat. Roborandæ facultati, ſigillum officii mei appreſſi, & nomen meum ſubſcripſi. Monachii,* XIV *Martii,* ANNO M. DC. XLV.

(*Locus ſigilli.*) NICASIUS VVIDNMAN.

E R-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

ERRATA
corrigenda.

Lib. VII. *Od.* XI. *hexametro* 12, *pro* auſus *ſcribatur* ictus:

Ibid. Od. XV. *hexametro penult. pro* anne hæc *ſcribatur* an & hæc.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [2]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 13 [1]